





12.

Q. D. B. V.

RECTORE MAGNIFICENTISSIMO

DN. FRIDERICO AVGVSTO,

PRINCIPE REGIO ET SAXONIAE HEREDE,

EX

1713 14a

JVRE ECCLESIASTICO

DE

17

INVESTITVRA

MINISTRORVM

ECCLESIAE,

Bon

Einweisung der Kirchen-Diener /

PRAESIDE

PAVL. CHRIST. SCHROETERO,

JVR. D. ET CONSIST. ECCLES. ADVOC. ORDIN.

PVBLICE DISSERT

AVCTOR

CHRIST. FRIDER. KOEHLERVS,

HERZBERGA - SAXO.

IN AVDITORIO FCTORVM

9.

D. MAJ. M DCC XIII.

VITEMBERGAE,

LITERIS CHRISTIANI GERDESM.

131.



12.

REGTORE MAGNIFICENTISSIMO  
DN. FRIDERICO AVGVSTO,  
PRINCIPIS REGIO ET SAXONIAE HEREDIS

EX  
JURE ECCLIESIASTICO  
DE

INVESTITVRARVM  
MINISTRORVM  
ECCLIESIAE

2011  
Gemeinschaft der Kirchen - Dienste  
CAPITULI PRINCEPS  
PAVL. CHRIST. SCHROBTERO,  
IUR. D. ET CONSIST. ECCLIESIAE ADVOC. ORDIN.  
PARVISE DISCRET.

AVCTOR  
CHRIST. FRIDER. KOEHLERVS,  
HERBERGA - SAXON.

IN AUDITORIO FACTORVM  
D. MAJ. MDCCLXIII

HERBERGA,  
LICEVS CHRISTIANI GERDESII  
171



**VIRO**  
**SVMME REVERENDO**  
**AC**  
**GENEROSISSIMO DOMINO**  
**DN. IOANNI DANIELI**  
**A**  
**KOSERIZ,**  
**DYNASTAE**  
**IN NAVNDORFF, KASEBRA, DOEBERNIZ**  
**ET RELIQVA**  
**CAPITVLI WVRCENENSIS**  
**CAPITVLARI GRAVISSIMO.**

**VIRO**  
**GENEROSISSIMO**  
**MAXIMEQVE STRENO DOMINO**  
**DN. FRID. CHRISTIANO**

**AB**  
**HEINIZ,**  
**DYNASTAE IN DROESCHKAV, ET MILTIZ,**  
**ET RELIQA**

**DOMINIS SVIS GRATIOSISSIMIS**  
**PATRONIS AC MAECENATIBVS**  
**AETerno RELIGIONIS CVLTV**  
**DEVENERANDIS**

D. D. D.

**CHRISTIANVS FRIDERICVS KOEHLERVS.**

**N**on una erat causa, quae me,  
qualescunque has meditatio-  
nes *Vobis*, PATRONI  
SVMMI, oblatum, a proposito re-  
tinere poterat: siue enim *Vestram*,  
qua polletis, auctoritatem, siue meam,  
quam profiteor, tenuitatem, siue etiam  
Scripti, quod dedico, uilitatem per-  
penderem, certe haec omnia tanta  
erant, ut mihi aliam inducere mentem  
facile possent. Cum tamen gratiam  
atque beneuolentiam illam paulo pe-  
nitius considerarem, quam Parenti  
meo, largo quidem cumulo, exhibere  
non dedignati estis, suasu eiusdem ac  
monitu illud ipsum suscipere debui,  
de quo apud *Vos* deprecari habeo ne-  
cesse. Accipite itaque, MAECE-  
NATES GRAVISSIMI, hoc,  
quicquid est, opellae serena et gratiosa  
fron-

fronte, idque non tam ex ipsius conditione et qualitate, quam potius ex dedicantis affectu et obseruantia aestimate, neque et mea studia, quae DEI gloriam et Reipublicae utilitatem unice sibi habent propositam, *Vestrae Gratiae* habete commendata. Hoc si fuero consecutus, non modo ita me geram, utne indigno fauorem *Vos* contulisse senseritis, sed etiam summum Numen pro *Vobis Vestraque* salute ac incolumitate indefessis fatigabo precibus, ut *Vos* per complures adhuc annos Reipublicae, Ecclesiae, Patriae, atque Familiis, omnibus denique bonis, florentes conseruet, quo et ego de tantis Patronis mihi gratulandi semper habeam occasionem.

Scribebam Vitembergae Saxon,  
d. III. Kal. Iunii A. Ae. C.  
M DCC XIII.





B. C. D.

DE

INVESTITVRA MINISTRO-  
RVM ECCLESIAE.



Vae religionis publicae, & so-  
lemnem DEO cultum exhibi-  
bendi causa, initur, societas  
Ecclesiae nomen accepit,  
atque homines, diviniore hoc  
coetu comprehensi, in Do-  
ctores ac auditores rectissime  
distinguuntur. Neque enim cum Pontificiis fa-  
ciendum est, qui Ecclesiasticam quandam, a ci-  
vili distinctam, atque ab ea non dependentem  
Rempublicam comminiscuntur, &, quemadmo-  
dum in statu civili summum Principes imperium  
gerunt, ita in Ecclesiastica, qualem confingunt,  
Republica Pontificem atque Episcopos imperan-  
tium loco habendos esse, tradunt. Longe his

A

Galli

Duo tan-  
tum in Ec-  
clesia ordi-  
nes sunt,  
Doctorem  
sc. & audi-  
torum. at-  
que illi  
nullum in  
hos impe-  
rium ha-  
bent.

Galli moderatiores sunt, Theologi praefertim Parisienses, qui peculiarem quidem Reipublicae speciem repraesentare Ecclesiam docent, duplex tamen in ea regimen Sacerdotale & Regium admittunt, atque utrumque in concordiam confortiumque adducere annituntur. Cui rei testimonio sunt tot eruditorum meditationes, atque incomparabilis Illustrissimi Parisiensium Praefulis PETRI DE MARCA cum primis labor, quem in conscribendo, de Sacerdotii atque Imperii concordia, Libro superiori Seculo suscepit. Per placet temperata haec plerisque nostrorum quoque Doctorum sententia, cum duas quamvis Rempublicam societates, Ecclesiam & Politiam, continere, ac partem Reipublicae ordinemque imperantium & parentium Ecclesiam esse, vulgo ab ipsis doceatur. At enimvero neque hanc tolerari opinionem posse, atque in Republica quidem, sed non ejus partem, aut statum quendam civilem Ecclesiam esse, PVFENDORFIVS in nobilissimo *de Habitu relig. ad vit. civil.* tractatu prolixius demonstravit. Sane singularem, praeter civilem, Ecclesiasticam Rempublicam confingere, ac civile quoddam clericis in ea regimen assignare, cum indoli Ecclesiae, tum sanctiori in primis Codici, quo servire, non imperare

re Doctores jubentur, maximopere repugnat. Cujusmodi Ecclesiae imaginem cum celebris etiam Reformatorem Theologus, GISB. VOETIVS, edito de Politia Eccles. tractatu, formasset, istique regimen quoddam, quod cum publico ferme statu convenit, adscripsisset, personati cujusdam Auctoris, qui in Tr. *Papa Ultrajectinus*, inscripto principia ejus, papatum redolentia discussit, animadversionem jure promeruit. Propius ad Christi voluntatem, atque Apostolorum, qui non dominos sed ministros se Ecclesiae esse, per saepe confitentur, instituta illi accedunt, qui Ecclesiam externam, ut aliud quoddam in Republica collegium, considerant, atque, inita cultus ipsius ratione, constituentes hunc coetum personas in Doctores & auditores distinguunt, ita quidem, ut illis non civile aliquod, sed ejusmodi, quod in docendo, non imperando, in admonendo, non mandando consistit, regimen concedatur. Dn. BOEHMER *ad* PETR. d. MARCA d. C. S. & l. Lib. 5. C. 1. §. 2. & in *annot.* ad SCHILT. l. l. Can. Lib. 1. C. 1. §. 1. *sqq.* Duos itaque tantummodo in Ecclesia ordines, ac status, Doctorum scilicet atque auditorum, agnoscendos esse, ipse B. ZIEGLER *ad* LANCELL. L. 1. T. 4. §. 1. docet, ac pervulgatam il-

lam de triplici in Ecclesia statu, dem *Lehr-Wehr-*  
*und Wehr-Stand* doctrinam, utpote Pontificiis  
 principiis suffultam, minus commode apud Pro-  
 testantes retineri, D. TITIVS in *Spec. Jur.*  
*Eccl.* 1. 3. §. 52. demonstrat. Atque illi quidem  
 Ecclesiae Doctores seu ministri, quibus, ingra-  
 vescente papatu, solis clericorum nomen attri-  
 butum est, solemnii coetui diviniore ritu praefi-  
 ciuntur, iisque, electionis, confirmationis, or-  
 dinationis, atque investiturae actibus plerumque  
 intervenientibus, gravissimum pertractandorum  
 Sacrorum munus demandari solet. De sola,  
 quam ex instituto a nemine haecenus expositam  
 vidi, Ministrorum Ecclesiae investitura, implo-  
 rato praepotentis DEI auxilio, in praesenti  
 differere, statutum cum animo deliberatumque  
 habeo.

Doctores  
 Ecclesiae  
 quomodo  
 constitu-  
 antur.

Institutum  
 Auctoris.

§. I.

Investitu-  
 rae vox  
 quid olim  
 denotave-  
 rit.

A benefici-  
 is militari-

Investiturae vocabulum utrum Latinae an Francicae  
 originis habendum sit, dudum EYBEN. in *El. Jur. Feud.*  
 C. 5. §. 3. exposuit, ac perantiquam usitatamque jam  
 ante Caroli M. tempora hanc vocem esse H. CONRING.  
*d. Const. Episc. Germ.* §. 34. contra BARONIVM observat. Quo-  
 rumcunque vero bonorum juriumve traditionem ac colla-  
 tionem investitura olim, CAR. du FRESNE in Glossario teste,  
 denotavit, de feudorum tamen inprimis concessionibus  
 prae-

praedicatur, & duplex, propria atque abusiva, Longobardi-  
 co jure esse perhibetur, cujus divisionis varias admodum  
 dari explicationes Excellentissimi Jcti D. HORN. *J. Feud.*  
*C. 12. §. 3.* & D. BEYER. in *Delin. J. Feud. C. 6. Posit. 25. §. 9.*  
 demonstrant. Eadem praedictum investiturae vocabulum  
 ratione ad Ecclesiastica applicatum beneficia est, quae prae-  
 stita Ecclesiae servitium remunerandi causa, clericis, ut mi-  
 litibus olim praedia, perfruenda concedebantur. PAV-  
 LVS SARPVS *de Benefic. art. 10.* Sicuti ergo ex Feudorum  
 usibus Ministrorum Ecclesiae sustentationi destinati redditus  
 beneficiorum nomine venerunt, ita de Ecclesiasticorum  
 ejusmodi beneficiorum concessione ipsa etiam deinceps in-  
 vestiturae vox usurpari, atque abusiva, quam verbalem ple-  
 rumque appellant, a reali investitura accuratius distingvi  
 coepit. Etenim verbalis illa solemnibus verbis & signis,  
 quae LINCKE *d. Jure Episc. C. 9. n. 28.* describit, adhibitis,  
 ab Episcopo, vel jussu ejus ab alio, expeditur, & non ipsam  
 actualem, ut LINCKE *d. l.* aliive docent, transfert possessio-  
 nem, sed obligationem solum ad ejus traditionem parat,  
 vel vacuum possessionem propria auctoritate occupandi li-  
 centiam tribuit. At realis, quae & introductio vocatur,  
 investitura ab Archidiacono regulariter peragenda est, &  
 veram beneficii Ecclesiastici possessionem confert, atque abu-  
 siva investiturae veluti executio censetur. ENGEL. *ad X.*  
*Tit. d. Instit. n. 4. §. 9.* LINCKE *ad eund. Tit. 5. d. Jure Episc.*  
*C. 9. n. 27. §. 9.*

## §. II.

Ex his facile intelligitur, investiturae nomen, Ec-  
 clesiasticis etiam beneficiis tributum, πολύσημον esse, eo-  
 que vel nudam illorum concessionem, vel veram posses-  
 sionis consecutionem atque introductionem, vel apprehen-  
 dendae possessionis facultatem indicari. Pertinet huc me-  
 De investi-  
 mora-

tura Epi-  
scoporvm  
Germ.

morabilis investiturae actus, quo Episcopos, a clero & plebe electos nominatosque, Christiani olim Imperatores approbare, datisque baculo atque annulo, Imperatorii consensus indicibus, confirmare solebant. Prolixius de hoc actu non disseram, nec signorum, Imperatoris consensum significantium, explicationem tradam, cum argumentum illud abs WALTHRAMO, MEIBOMIO, CONRINGIO aliisque solide discussum reperitur, dictorumque signorum interpretatis ex variis passim Scriptoribus, ex Nono inprimis Aquisgr. Concilii I. Canone perspicue compendioseque addiscatur. Illud tantum observo, electorum Germaniae Episcoporum confirmationem denotare hoc loco investituram, quum impetrato prius Imperatorum consensu, dataque approbatione, consecrari illi demum olim potuerint. PETR. d. MARCA d. C. S. & J. Lib. 8. c. 20. in f. Interea non desunt, qui praeter confirmationem plus hoc casu Imperatori juris concedunt, atque investiturae vocem, quoad praesens argumentum, ipsam Episcoporum electionem, clero plebeque exclusis, continere putant. At enimvero eam olim constituendi Episcopos consuetudinem servatam plebique fuisse constat, ut, mortuo quodam Episcopo, liberam clerus populusque, vel, si metropolis esset, Episcopi simul ejus provinciae, alium eligendi habuerint facultatem, electumque Imperatores haud aegre confirmaverint H. CONRING. d. Constit. Episc. §. 36. Solemne constituendi Episcopos negotium a cleri populi nominatione communiter duxit initium; accedente vero Regis confirmatione perfectum absolutumque fuit. Quo factum, ut Regiae potestati ipsa Episcoporum constitutio κατ' ἐξοχήν adscriberetur, cujusmodi tamen loquendi rationem cleri & populi consensum non exclusisse, notat SCHILTER. d. L. E. G. Lib. 2. C. 4. §. 2. Atque hac investiendi Episcopos potestate

te a longissimis temporibus Imperatores Romano-Germanicos usos esse, LEHMANNVS in *Chron. Spir. Lib. 2. c. 42.* adductis exemplis, commonstrat. Tandem Henricus V. Imperator, in quem excitatus Pontificum furor erat, regio hoc investiendi Germaniae Episcopos jure, sola sibi conferendi regalia & Imperii feuda facultate reservata, solemnem se ritu ann. 1122. abdicavit. *Conf. ITTER. d. Feud. Imp. C. 9. §. 21.*

## §. III.

Quae quidem ideo commemoranda putavi, ut mani- Connexio.  
festum fiat, annuli baculique hoc in negotio traditionem,  
factamque per hanc abusivam Episcoporum investituram  
eorum saltem confirmationem, non realem in Episcopatus  
introductionem, significasse. Cujusmodi symbolicum in-  
vestiendi Episcopos modum tum etiam fuisse adhibitum,  
ex IVONIS CARNOT. *Epist. 60.* colligo, cum electis Episco-  
pis nullae agrorum partes bonorumque possessiones assigna-  
rentur, sed eligentium tantummodo votis Imperatores an-  
nuerent. Interim abusive hoc modo Clerici investiti in  
ipsam adhuc actualem beneficii Ecclesiastici possessionem mit-  
ti, & vere induci regulariter debent. Vtraque autem abu-  
siva non minus, quam realis investitura eam maxime ob-  
causam observatur, ut redituum possessionem fructuumve  
perceptionem consecratus Ecclesiae minister consequatur.  
Ita praepostero proforsus ordine accessorii major, quam prin-  
cipalis ratio habetur, & non tam demandandi sacram cle-  
ricis provinciam, quam beneficium aliaque perfruenta ex  
Ecclesia commoda iis assignandi causa, haec talia utriusque  
investiturae solemnia usurpantur. *Vid. B. ZIEGLER. d. Episc.  
C. 16. §. 3. & ult.*

Ad investi-  
turam abu-  
sivam rea-  
lis f. intro-  
ductio ac-  
cedere de-  
bebat.

Cur utra-  
que adhi-  
bita fac-  
erit.

## §. IV.

## §. IV.

A dicta ha-  
ctenus in-  
vestitura  
differt illa,  
quae ap-  
Protestan-  
tes obser-  
vatur.

Longius ab hac investiendi consuetudine puriorum  
sacrorum Ecclesiae recesserunt, & similem quidem,  
inita nominis & quodammodo formae ratione, at, ha-  
bito ad finem scopumque respectu, diversum plane ac-  
tum observant. Scilicet personae, ad Sacrum Ecclesiae  
ministerium rite vocatae, confirmatae, ordinataeque, con-  
gregato sacrorum ergo coetui, a Superintendente, vel alio  
Ecclesiae ministro sistuntur, commissa ipsis animarum cu-  
ra, precibusque adhibitis, in Ecclesiam, atque in Sacri of-  
ficii possessionem publice quasi introducuntur. Maxime  
ergo ab allata praec. §. §. investitura haec in nostris passim  
Ecclesiis usitata inauguratio differt, eaque non tam assignan-  
di pastori reditus, quam animarum ipsi curam commen-  
dandi causa celebratur. Neque etiam tanta tamque opi-  
ma Nostris, ac plerisque Pontificiis Ecclesiae ministris, be-  
neficia conceduntur, ut eorum causa tot investiturae so-  
lemnina essent adhibenda. Interea tamen, cum digna pa-  
storibus laborum praemia constitui, reditusque ad susten-  
tandam commode vitam necessarii concedi debeant; ho-  
rum item in introductionis actu assignatio fieri consuevit:  
Cujusmodi temporalium, ut Canonistae eam appellant, tra-  
ditio Ecclesiasticis Principum quorundam Evangelicorum  
legibus, investiturae solemnibus expresse ad censetur, atque  
introducitur primum in Ecclesiam pastor in parochialem  
deinceps domum deducendus est, deductoque percipiendi  
in posterum reditus indicari debent. *Ordin. Eccles. Gotb. C. 3.*  
*§. 6. verbis: Und wenn das geschehen x. B. SECKENDORF.*  
*im Fürsten-Staat. P. 2. C. 5.* Ceterum definiri haec, apud  
Protestantes in Germania possim recepta, investitura possit  
per actum Ecclesiasticum solemnem, quo quis Ecclesiae mi-  
nister, rite vocatus, ordinatusque, coetui, cui praescien-  
dus

Ejus defi-  
nitio.



dus est, sistitur, & publice in Ecclesiam introducitur. *Vid.*  
 B. GERHARD. in *L. d. Min. Eccl.* §. 170. CARPZOV. *7. Eccl.*  
*L. 1. D. 54. n. 1.* Atque de hac, quam definiti, investitura In Svecia  
 Svecorum etiam lex *L. 1. C. 5.* ex edit. Jo. Messenii inter- quoque u-  
 pretanda videtur, qua ita disponitur: *Postquam Presbyter*  
*assumptus est de Episcopi & Parochianorum consensu, assigna-*  
*bant Parochiani Ecclesiam Presbytero, & ipsius Ecclesiae orna-*  
*menta, quae Presbyter deinde campanario demandabat.* titata.

## §. V.

Investitura quamobrem appelletur hic actus, *ex di-* Examina-  
*ctis* §. 1. intelligitur. Multi a vestimentis eum ita denomi- tur opinio,  
 nari credunt, quod vestimentis olim privatis exutis, sacer- qua a vesti-  
 dotalibus induebatur candidatus CASP. CALVOER. in *Ri-* mentis  
*tuali Eccl.* P. 2. S. 3. C. 21. §. 4. Neque diffiteor, ab eo, quo hunc a-  
 Ecclesiam depravavit superstitio, tempore Clericos, depo- ctum ap-  
 sito cultu interno, externo quodam splendore variisque pellari cre-  
 vestimentorum generibus populum rudem allicere, iisque ditur.  
 in devotione illum conservare allaborasse. *Vid.* HVBER. in  
*Hist. Civ. P. 2. Lib. 3. S. 1. §. 7.* Nihil tamen secius utrum  
 accurata sit haec appellationis ratio, subdubitare incipio.  
 Praeterquam enim quod multi, investiturae vocabulum  
 Francicae magis quam Latinae originis habendum esse, eo-  
 que sacrorum non minus quam civilium munerum a Re-  
 gibus Principibusque impetratas confirmationes significari,  
 doceant: H. GROT. *d. Imper. circa Sacr. C. 3.* SCHILT. *d.*  
*Libert. E. G. L. 4. C. 5. §. 24.* Illud tamen pro certo affirmari  
 nequit, in ipso investiturae actu ejusmodi vestium muta-  
 tionem observatam olim fuisse, quum in consecrationis seu  
 ordinationis actu haec talia tantum solemnia adhibita le-  
 gantur; B. QVNSTEDT. *Antiq. Bibl. C. 2. n. 9. §. 7.* nisi  
 forsan hanc etymologiam ideo comprobare necesse habeam,  
 quod ipsa ordinationis solemnia investiturae saepius voca-  
 bulo

bulo indicentur, ac tempore recens natae Ecclesiae vix ulla ordinationem inter atque investituram differentia fuerit annotata. Qua significatione hanc vocem Antiquitatum Ecclesiasticarum Scriptores passim accipiunt, eaque solemnem illum, quo vestibus sacris consecrati Ecclesiae Ministri induuntur, ritum comprehendunt.

## §. VI.

Evolvitur  
 συνωνυμία.

Vocatur hic, quem descripti, actus ab aliis introductio, Introducirung die Einführung / eam forsan ob causam, quod, solemnem quodam habito comitatu, ministerii candidatus, seu sponsus quidam, in Ecclesiam introducatur. Neque etiam incognitum institutionis nomen est, die Einsetzung / Einweisung / idque a *Ven. Theol. Vitemb. Ordine in Respons. P. 2. T. 1. p. 19.* usurpatum ita lego: *Quam (ordinationem) & confirmationem sequitur institutio, qua datur novo pastori Ecclesia sua docenda ac regenda, & vicissim pastor Ecclesiae, ut eum audiat tanquam legitime a Christo sibi datum ἡγούμενον Doctorem.* Imo accuratius appellari institutionem, cum investendi vox ad collationem magis pertineat, observat SCHILTER. in *J. J. Can. 1. 16. 6.* Attamen nec unam eandemque institutionis vocabulum significationem habet, ac Jure quidem Canonico beneficium, praecedente patroni praesentatione, concessionem proprie denotat. ENGEL. *Coll. J. Can. ad T. X. d. Instit.* Idcirco, utrum huic, de quo dissero, actui Ecclesiastico institutionis magis, quam investiturae nomen tribuendum sit, certo definire non audeo, atque id solum moneo, investiturae, institutionis, & collationis vocabula apud Canonistas promiscue usurpata deprehendi. Interdum & inaugurationem atque inthronisationem solemnem hunc ritum appellari, haud fugiet eum, qui in Ecclesiasticis legibus non hospes est, easdemve & veterum monumenta accuratius excussit, & di-

& diligentius perlustravit. Apud Pontificios missionem idem ferme, quod apud nos investitura est, significare ex M. BECANO *d. Vocat. Min. Eccl. §. 30.* intelligitur: Verum, cum missio atque ipsa vocatio inter se non differant, rectius investituram quam missionem hunc actum nuncupari, B. GERHARD. *d. Min. Eccl. §. 170.* animadvertit.

## §. VII.

Nomine breviter perquisito, res ipsa paulo accuratius excutienda venit. De origine investiturae Ecclesiasticae si quis quaerat, sciat, nihil de ea certi Antiquitatum Scriptores definire. Hoc vero certissime mihi persvadeo, primis civitatis Christianae temporibus unum eundemque & ordinationis & investiturae actum fuisse, & vix ultra Constantinianae aetatem primam solemniter separataeque ab ordinatione introductionis originem reperendam esse. Apostoli sane in universum terrarum orbem, ut rectum de DEO sensum cultumque ejus gentes docerent, dimittebantur, nec peculiari cuidam loco affixi erant, adeoque incertam aliquam introduci Ecclesiam non debebant. B. BEBELIVS *in Antiqu. Eccl. ad Sec. 1. a. 2. §. 3.* Singulis quidem deinceps coeribus Doctores praeficiebant Apostoli, sed ipsi proficiscebantur ad eos, *χειροτονήσαντες αὐτοῖς πρεσβυτέρους κατ' ἐκκλησίαν. Act. XIV, 23.* eundemque morem ad IV. usque Seculum durasse, ex IV. Concilii Nicaeni I. canone cognoscitur, quo proficisendi ad Ecclesias particulares necessitas certis quibusdam casibus remittitur. Idcirco cum in ipsa illa, cui praeponebatur minister, Ecclesia ordinatio olim fieret, verisimile videtur, hanc ipsam simul investituram comprehendisse, neque, finito ordinationis actu, separatam demum ordinati ministri introductionem populo praesente fuisse institutam. CALVOER. *in Rit. Eccl. P. 2. C. 21. §. 2.* Illud praeterea cognitum satis exploratumque

De origine investiturae Ecclesiasticae.

Tempore recens naturae Ecclesiae in usum non fuisse probatur

(i.) Ex statu illorum temporum.

est, primis post natum Christum seculis Sacra in privatis aedibus atque in locis clausis & latebris, injecto suppliciorum metu, habuisse Christianos, atque, omissis haud quam necessariis ceremoniis, simplicem DEO cultum praestitisse. EVSEB. *H. E. L. 9. C. 2.* Vix ergo adduci possum, ut credam, praeter ordinationis solemniam adhuc introductionis actum, ad ministerii substantiam prorsus non pertinen-

2.) Ex cef-  
fatione ef-  
fectuum,  
quos inve-  
stiturae  
Eccles.  
adscribunt.

tem, tum temporis adhibitum fuisse, praesertim cum tales, quales eidem hodie adscribunt, effectus nondum adeo cogniti, atque in praxin deducti legantur. Etenim investitura tam firmum pastorem inter atque Ecclesiam contra hi vinculum docent, ut nec ille eam deserere aut actus alibi Sacros administrare possit, nec alio in loco parochiani Sacris vacare queant. CARPZ. *d. 7. E. L. 1. D. 54. n. 3.* Ita autem olim certo cuidam loco Ministrorum Ecclesiae munus adstrictum & quasi alligatum fuisse, probari nequit, ut alibi clericales obire functiones interdictum iis fuisset. Permissum sane hoc ipsis tribus a Christo nato prioribus seculis fuisse, ex *can. 2. Constantinopolitani, c. 8. Ephesini, c. 15. sq. Nicaeni I. § c. 6. Chalced. Conciliorum* intelligitur, quibus demum extra suos terminos ad alienas accedere Ecclesias prohibentur, atque ἀναστέφειν εἰς τοὺς ἐκωτῶν παροικίας jubentur. Quod in rei testimonium, fide dignissimum SOCRATES in *H. E. Lib. 5. c. 8.* his verbis innuit: *Patriarchas constituerunt, distribuentes provincias, ne ullus Episcopus ultra propriam Dioecesin alienas Ecclesias invaderet. Id enim antea propter persecutiones promiscue factum fuerat.*

### §. VIII.

Prioribus a  
C. N. secu-  
lis simplex  
DEO cul-  
tus praesti-  
tus est.

His ergo miseris valde calamitatibusque plenis civitatis Christianae temporibus sine omni splendore ritibusque non necessariis Sacra peracta sunt, atque ad Doctorum Ecclesiae constitutionem investiturae actus vel nullus, vel ab

ab ordinatione non distinctus fuit adhibitus. At, imperante Constantino M. qui anno imperii septimo ad Christianae religionis cultum advertit animum, tranquillus & pacatus piorum coetus perfluit, & liberrimum exercendae religionis arbitrium, templorumve, (qualia primis duobus seculis nulla, tertio, finita Deciana vexatione, pauciora neque adeo splendida condita a Christianis fuisse, LINCK. *d. Jur. Templ. C. 3. n. 34.* & B. SCHVRZFL. *d. Antiqv. Templ. S. 6.* observant) extruendorum facultatem, ipso Imperatore magnificos sumtus suppeditante, impetravit. Perpetuam rerum divinarum curam ipse habuit Imperator, summum Sacerdotiis honorem addidit, clerique munus *τελον* afferuit, sollicitaque custodivit. Qua Imperatoria auctoritate suffulti, potestatem suam firmabant clerici, & patientia Christianorum Imperatorum augebant sensim cummulabantque ceremonias, atque Episcopi, cum primis Primates non, ut olim, proficiscebantur amplius ad ordinandos Ecclesiae candidatos, sed hos ad Episcopalem sedem, ordinis sacri accipiendi causa, pervenire oportebat. Factum itaque est, ut, cum absente, quem pascere jubebatur, grege clericorum ordini adscriberetur novitius Minister, specialia adhuc actu coetui, cujus ipsi cura demandabatur, sistendus, atque in ipsam officii sacri possessionem quasi introducendus esset. C. CALVOER. *d. l. §. 2.* Accedebat, quod eodem Constantini M. tempore, sustentandi Ecclesiae Ministros causa, certi stabilesque redditus ac bona constituta demum fuerint, cujusmodi prima Christianae civitatis aetate ignota fuisse, & ex spontaneis Ecclesiarum oblationibus vixisse Doctores, B. ZIEGL. *d. Dot. Eccl. C. 3. §. 1. sqq.* demonstrat. His ergo bonis investiebantur clerici, & moribus eorum jam Constantini M. aevo depravatis, atque ad dominatum inclinantibus, temporalium major quam spiri-

Constantini M. aevo cumulate ceremoniae.

templa condita,

magnique clericis honores habitum sunt.

Candidati in ipsa Episcopali sede ordinantur.

Ita separatus investiturae actus inventus est.

Constantini M. aevo certa Clericis bona assignata sunt.

His investiebantur.

Eodem  
tempore  
termini  
cuilibet  
clerico as-  
signati sunt.

tualium ratio fuit habita. Praeterea cum investitum Mi-  
nistrum ita alligari Ecclesiae suae, ut extra ejus terminos  
sacra administrare nequeat, communiter credant; *vid.*  
*CARPZ. d. J. E. l. 54. n. 3.* satis exinde idoneum desumi  
argumentum potest, quarto demum Seculo solemnes in  
Ecclesias introductiones fuisse adinventas. Enimvero an-  
tea ad particularem quendam coetum, ut illius interdum  
transgredi fines haud licuisset, non ita administrandi sacra  
facultatem fuisse adstrictam §. praec. comprobavi. Verum  
cum Imperatorum indulgentia hierarchiam meditentur  
clerici, politicis his rationibus inducti, totum regiminis Ec-  
clesiastici systema quasi dividebant, & terminis cujuslibet  
potestatem propriis includebant. Facile enim praevidebant,  
absque ordine tali politico regimen diuturnum esse non  
posse; ideoque certam cuilibet Ecclesiam despondebant,  
territoriumque assignabant, &, subsecuta introductione, ita  
ad illud alligabant, ut sine magni sceleris macula extra praefixos hos terminos sacros quosdam expedire actus non po-  
tuerint. Dn. BOEHMER. *d. Jure Paroch. S. 2. C. 2. §. 42. fgg.*  
Atque haec fuerunt Ecclesiasticae investiturae, aut observa-  
tae saltem hanc inter atque ordinationem distinctionis ini-  
tia, quae ultra CONSTANTINI M. aevum extendi non  
posse videntur.

In hos in-  
troduci de-  
bebant.

### §. IX.

Investitu-  
rae solen-  
nitates,  
quae varia-  
rae sonent.

Proxime huic de investiturae origine altera de ejus  
solemnitatibus jungenda est quaestio, quam tot dubiis diffi-  
cultatibusque obstructam non reperio. Primis ab orbe re-  
demto tribus seculis quae circa investiturae actum adhibita  
fuerint solemnia, frustra disquirerem, siquidem incogni-  
tum temporis eum fuisse praec. §. §. annotavi. At  
constituto post haec tempora peculiari investiturae actu, pe-  
culiaries etiam variaequae praeter necessitatem ejus ceremo-  
niae

niae inventae fuerunt. Neque tamen aequalia ubique solemnina, sed, inita personarum, regionum, aliarumve circumstantiarum ratione, diversissima observata sunt. Introducendi Orientalis Ecclesiae Patriarchas modum describit IOACH. STEPHANI *in Inst. J. C. L. 2. c. 10.* quem temporis spatiique lucranda causa non exscribam. Quibus in Hispanica Ecclesia solennitatibus clerici introducantur, ex descriptis ab A. BARBOSA *d. Offic. & pot. par. P. 1. C. 2.* formulis addiscitur. Investendi Episcopos ritus exponit WEBER. *d. Introd. Episc. Tit. 6.* circa quos monendum venit, ob hanc introductionem seu inthronificationem certam pecuniae summam, quae inthronificum rectius, quam cathedraticum appellatur, clericis ac notariis, qui consecrationis actui interfuere, exsolvi ab Episcopo debuisse. PETR. *d. MARCA d. C. 5. & J. Lib. 6, C. 10, n. 3, 4.* Non ergo ipsi introducendo Episcopo a subjectis Ecclesiis doni loco inthronificum oblatum fuit, ceu WEBER. *d. 1.* sibi persuadet. Ceterum minoris ordinis Clericorum investitura ex ENGELII *Colleg. J. Can. ad Tit. X. d. Instit.* cognosci potest.

Inthronificum quid?

Notatur Weber.

### §. X.

Propius jam accedendum ad scopum, &, quomodo apud nos, purioribus Sacris addictos, inaugurentur Ecclesiae ministri, explicandum est. Illud ex supra dictis repeti meretur, ejusmodi actum non aequè apud nos propter ejus, qui inauguratur, commoda, sed maxime propter gregem, cujus pascendi cura illi committitur, expediri solere. Nolo autem usitatas in nostris Ecclesiis introducendi solennitates prolixius in praesenti commemorare, cum in Ecclesiasticis plerarumque regionum legibus accuratius easdem descriptas legam. Permultum ad cognoscendos ejusmodi ritus ipsa facit inspectio, atque evolvi cumprimis debent

Quae ap. Evangelicos adhibeantur solennitates.

Ord.

Ord. Eccl. Sax. El. Tit. *Gemeine Form und Weise* r. *Gotha-  
na* C. 3. §. 6. *Magdeb. C. 16. §. 2. sqq. vid. LINCKE d. Jur.  
Episc. C. 9. §. 39.* Illud hic observem necesse est, addu-  
cta Saxon. El. lege cum ordinatione investituram commix-  
tam videri, cum idem, qui ordinationi *Art. 1. §. Desglei-  
chen* r. praescribitur, investiturae etiam modus ibidem  
constitutus legatur. Aequalibus alioquin solemnitatibus  
omnes Ecclesiae ministri, non habita dignitatis ratione, in-  
troducuntur; circa Superintendentium tamen investituras  
cumulari magis augerique ceremoniae solent, quas brevi-  
ter exponit D. TITIVS in *Spec. Jur. Eccles. Lib. 2. §. 8. §. 13.*  
Memorabilis investiturae actus in Actis Curiae Oppid. Vi-  
temb. descriptus legitur, quo B. D. CALOVIVS ut Pastor  
ejus loci & generalis Circuli Elect. Saxon. Superinten-  
dens, ipso Divo Saxon. Electore JO. GEORGIO II.  
Electore t. t. Herede, praesente, Ann. MDCLIV.  
die 14. Februar. solemniter inauguratus est. Ceterum  
inter ordinationem atque investituram hanc vulgo dif-  
ferentiam constituunt, quod haec repeti, illa non, possit,  
quum nemo plus quam semel in tota vita consecratur, c.  
*Sicut. d. 68. can. apost. 68.* quam differentiam WEBER *d.*  
*Introd. Episc. T. 6.* B. GERHARD. *d. Min. Eccl. §. 170.* ali-  
ve observant. Sed enimvero non verum genuinumque  
aliquod hoc esse discrimen, atque erroneae illi Pontificio-  
rum sententiae, ac si indelebilem animae ordinati chara-  
cterem ordinatio imprimeret, debere natales certissimum  
est. Cum ipse B. GERHARDVS *l. all. §. 139.* hunc Pon-  
tificiorum errorem refutet, atque utrumque & ordinatio-  
nis & investiturae actum repeti posse, *Vener. Theol. Vitemb.*  
ORDO M. *Aug. 1618. in Resp. P. 2. T. 1.* graviter moneat, nulla ex-  
inde desumenda differentia est; magis ita inter se differre  
dicendum: Ordinatio docendi administrandique Sacra-  
menta

Ord. Eccl.  
Sax. El. or-  
dinatio &  
investitura  
commixtae  
sunt.

Notatur  
communis  
sententia  
de diffe-  
rentia or-  
din. & in-  
vestit.

Constitui-  
tur vera  
differentia.



menta potestatem tribuit; investitura ad particularis cujusdam coetus ministerium hanc potestatem adstringit, & sacrae in eodem functionis administrandae possessionem quasi impertitur.

## §. XI.

Illud interim extra dubitationem constitutum esse arbitror, introductionis hunc actum adhibendum necessario non esse, eoque omisso, sacras nihilofecius functiones valide Ecclesiae ministros obire posse *c. 1. d. 23. ibique BARBOSA n. 11.* Nec contraria quaedam Juris Pontificii dispositio ex *c. 5. d. Elect. in 6.* deduci posse videtur, quippe d. c. factam a patrono Ecclesiastici beneficii concessionem, ab Episcopo confirmandam saltem esse, fancitur. Per multis etiam Germaniae locis investitura usu recepta plane non est; atque in ipsa Saxonia nostra non desunt Ecclesiae ministri, qui ob sumtum, huic actui impendendorum, inopiam solemnem ritu introducti non sunt, &, interveniente fato, introduci nunquam potuerunt. Ad ceremonias itaque saltem atque adiaphora hic actus referendus, dubitandumque prorsus non est, quin justas ob causas, cujusmodi variae suppeditari possent, tolli atque abrogari plane queat. Non parvam interim utilitatem solemnia haec tempestive adhibita adferre, adeoque omittenda temere non esse, Theologi passim & Juri consentunt. *Vid. B. ZIEGL. d. Superint. C. 15. §. ult.* Neque tamen illorum comprobanda sententia videtur, qui, eodem investiturae ritu nondum peracto, & dudum jam administratis a parochis sacris, nunc demum instituendum eum esse docent, *ME V. P. 3. D. 133. n. 7. BRVNEM. d. 7. E. 1. 5. 27.* Quodsi enim diu jam Sacris non investitus Ecclesiae minister praefuit, eundemque verum riteque vocatum pastorem auditores agnoverunt, & hoc ipso in vera officii sacri possessione dudum constitutus est:

Investit.  
Eccles. ne-  
cessaria  
non est.

Vtilis ta-  
men, modo  
tempestive  
adhibea-  
tur.



investiendum denuo esse, frustra dubitatur: At in alio-  
 rem in eadem, in quam solemniter jam semel ritu introdu-  
 ctus est, Ecclesia locum tantummodo euectus, an denuo  
 inaugurandus sit, merito disceptatur. Affirmandum hoc  
 vel eam ob causam duco, quod & hoc casu Principis, cu-  
 jus nomine peragitur investitura, hanc novam muneris in-  
 eadem Ecclesia collationem approbantis voluntas publice  
 exponenda, atque in ejusmodi muneris illique annexorum  
 commodorum possessionem Ecclesiae minister denuo quasi  
 introducendus sit. Neque vero obstat, quod plerisque  
 Ecclesiasticis legibus de illorum, qui primum muneri sa-  
 cro in quadam Ecclesia admoventur, investitura solum di-  
 sponatur. Sufficit enim, ad hos solos eam ibidem non  
 restringi, atque eandem rationem eandem legis dispositio-  
 nem requirere. Is tamen hodie mos viget, ut illi tantum,  
 qui praecipuum aliquod in eadem, in qua Sacris haecenus  
 vacarunt, atque inaugurati fuerunt, Ecclesia munus, idem-  
 que cum singulari quadam Ecclesiastica dignitate con-  
 junctum adepti sunt, solemniter rursus ritu introducantur.  
 Ex haecenus dictis colligo, pastorem alteri adjunctum,  
 riteque jam semel investitum, mortuo, cui substitutus erat,  
 ordinario Ecclesiae ministro, in eandem denuo Ecclesiam  
 esse introducendum.

## §. XIV.

Ob justas interdum causas duae pluresve Ecclesiae ita  
 conjunguntur, ut communi omnes pastore utantur. Cu-  
 jus rei occasione excitari posset quaestio, utrum in singu-  
 los unitos hac ratione coetus communis ille pastor separa-  
 tim sit introducendus? Ad quam quidem quaestionem  
 accurata dari nequit responsio, nisi triplicem uniendi Ec-  
 clesias modum probe discernamus. Scilicet plures Eccle-  
 siae conjunguntur, ut 1.) ex duabus una constituatur, atque  
 C 2

jam semel  
 investitus  
 ob novum  
 ipsi in ead.  
 Eccl. colla-  
 tum mu-  
 nus denuo  
 investiend-  
 us est.

Quid in  
 praxi ob-  
 tineat.

Parochus  
 substitutus  
 jam tum  
 investitus,  
 si succedat  
 mortuo  
 pastori, de-  
 nuo inve-  
 stiendus  
 est.

Quomodo  
 in unitis  
 Ecclesiis  
 peragenda  
 investi-  
 tura.  
 Distingui-  
 tur.

alteri accedens supprimatur, vel 2.) ut maneat distinctae, una tamen alteri subiecta, vel denique 3.) ut aequales omnes, neutra alteri subiecta, sint, & communi tantum pastore gaudeant. *Vid. SLEVOGT d. Vnionē Eccles. C. 3.* Si primo ac secundo modo quaedam Ecclesiae unitae fuerint, una tantummodo peragenda investitura, eaque primo casu in ea, cui reliquae accesserunt, Ecclesia, secundo in matre, ut dicitur, instituenda est, convocatis tamen utroque casu reliquis etiam unitis Ecclesiis. Atque, unitis secundo modo Ecclesiis, cum saepe, quae matris, quae filiae obtineat locum, dubitetur, deficientibus aliis probationibus, eam, in qua facta semper parochi investitura est, matrem esse existimandam, Consistorium Lipsiense, teste FINCKELTHVSIO *d. Jur. Patr. C. 5. n. 62.* pronunciauit. Sin autem tertio Ecclesiae quaedam modo fuerint unitae, in quamlibet harum, quippe aequaliter junctarum, separatis pastorem communem actibus esse introducendum, plane existimo.

## §. XV.

Jus investiendi M. E. ad Principem spectat.

Longius progredior, atque ad quem investiendi ministros Ecclesiae jus pertineat, paulo diligentius perquirō. Ecclesiam externam, ceu aliud quoddam in Republica collegium, considerari debere, in Prooemio asserui. Ex quo consequitur, in eandem, aequae ac in omnia alia collegia, generalem Principi competere inspectionem, eundemque recte cum primis providere, ut idonei eligantur Ecclesiae ministri, electi rite constituentur, constitutique demando munere sacro legitime perfungantur. Et majorem quidem Ecclesiae, quam reliquorum collegiorum, curam Principem bonum habere oportet, cum ex his male constitutis, non tanta, quanta ex corrupta Ecclesiae ordinatione in Rempublicam damna redundare consueverint. Atque

que ex hac generali in Ecclesias inspectione deducendum investiendi Ministros Ecclesiae jus est. Quemadmodum enim reliquorum in Republica collegiorum membra, quibus singulare quoddam munus injungitur, ratihabente atque approbante Principe, constituuntur, ita & eodem consentiente Ecclesiae Doctoribus gravissimum administrandi sacra munus conferendum est, cujusmodi Principis voluntas, intercedente investitura, publice parochianis explicatur. Neque illi etiam, quibus constituendi cuidam Ecclesiae pastorem privilegium datum est, impedire queunt, quo minus idem ille Principis nomine inauguretur. Licet enim patronatus, ut vocatur, jus praesentandi ministerii candidatum facultatem comprehendat, investiendi tamen potestatem non continet, quae a praesentandi jure longissime distat, & summae in Republica Majestati reservata est, atque ad jus circa sacra, & generalem exinde in Ecclesias descendentem inspectionem referenda. Frustra itaque obnituntur interdum Patroni, quo minus Principis nomine investiturae a Superintendentibus actus expediatur. B. GERHARD. *d. V. M. Eccles. §. 170.* CARPZ. *d. J. E. L. 1. D. 55. n. 1. seqq.*

Patroni de eodem nihil participant.

### §. XVI.

Quemadmodum vero a Constantini M. statim temporibus Clerus, ambitione avaritiaque abreptus, jura summae Majestati circa sacra competentia vel diminuere, vel sibi soli arrogare tentavit: ita & summum confirmandi investiendique Ecclesiae Ministros jus sibi vindicavit. In liberis, ut appellantur, Ecclesiis quin eam sibi asseruerit potestatem, eo minus dubitandum est, quo magis cleri in iis auctoritatem, atque arrogantiam ad ipsum eligendi jus extensam esse constat. In patronatis item Ecclesiis praeter praesentandi jus patrono nihil competit, atque Episcopus,

Clerus investiendi M. E. jus sibi arrogavit.

datis praeferato confirmatoriis literis, abusivam signorum traditione expediendam investituram, reali Archidiacono commissa, peragit, ac temporalium, quae deductione in domum parochialem, atque assignatione bonorum & reddituum, ut habeat, unde vivat pastor, absolvitur, traditionem Patrono pariter denegat. *Vid. LINCKE d. J. Episc. C. 9. n. 27. seqq. ENGEL. in Colleg. J. Can. ad X. T. d. Instit.* Ita inique multa sibi vindicavit Clerus, & competentia summae potestati circa sacra jura, quibus Ministrorum Ecclesiae confirmatio atque investitura, publicum confirmationis testimonium, adferri debent, asseruit, asserataque superbe defendit, donec, emendatis praepotentis DEI beneficio sacris, & Transactione Passaviae inita, Principibus A. C. ad dictis summum circa sacra, ac dependens ab eo investendi Ministros Ecclesiae jus restitutum, & pace Osnaburgae confecta, feliciter fuerit confirmatum.

Principibus autem A. C. rursus restitutum est.

## §. XVII.

Jus investendi non Episcopali sed proprio jure ac vi imperii civilis ad Principem spectat.

Communis itaque sententia est, investiendi ministros Ecclesiae potestatem Episcopali a Principibus Evangelicis jure exerceri, B. GERHARD. *d. M. E. §. 170. CARPZ. d. J. E. Lib. 1. D. 55. n. 2. LINCKE d. J. Episc. C. 9. num. 39.* Atque ita omnes e Nostratibus sentiunt, qui duplicem, Principis atque Episcopi, personam repraesentare A. C. ad dictum Principem, eique ut Principi secularium, ut Episcopo Ecclesiasticarum rerum imperium competere credunt: Sed enimvero duplicem in Principibus personam non satis commode fingi, falsisque principis, quasi clericis jura circa sacra propria essent, atque ad Principes qua tales non pertinerent, hanc niti doctrinam, accurate demonstrat Dn. BOEHMER. *in Disp. d. Episcop. Princip. Evangel. jure C. 1. §. 2. seqq.* Summum circa sacra jus imperii civilis pars est, idque

idque non Episcopali sed hujus civilis Imperii jure Principes exercent LVD. HVGO *d. Stat. Reg. Germ. C. 3. §. 28.* Neque enim Ecclesiasticam quandam jurisdictionem unquam sibi arrogarunt Apostoli, neque proximi ipsorum successores talem sibi vindicarunt, sed tanquam Praepositi sine imperio, adhibito semper Ecclesiae consensu, omnia disposerunt. Et licet sub Christianis Imperatoribus Episcoporum potestas indies aucta fuerit, atque illi summum circa sacra jus sibi vindicaverint; varia tamen per Germaniam circa sacra, quatenus cleri attentatis haud suppressa fuerunt, jura Imperatores non minus, quam illorum indulgentia Imperii Proceres jure proprio & vi imperii civilis exercuissent, *Magnif. DN. HORN. in J. Publ. C. 50. §. 2. & D. BOEHMER. d. Dissert. C. 1. §. 13. seq.* adductis exemplis demonstrant. Tandem cum Pontificum cedere furori, atque illa Episcoporum Germaniae investitura sese abdicare, eoque omni in clerum imperio renunciare Imperatores coacti essent, ipsa etiam Procerum Imperii circa sacra jura diminuta valde, & ferme sublata fuerunt. Verum emendatis a B. LVTHERO sacris, atque ecclesiastica, quam inique haectenus usurpaverant Episcopi, jurisdictione A. C. addictis Principibus restituta, & publicis Imperii legibus confirmata, summo rursus illi circa sacra jure potiuntur. Itaque cum jam olim jure circa sacra, veluti imperii civilis parte, libere Principes usi sint, idemque non Religiosa demum Pace in ipsos translatum, sed inique ab Episcopis ereptum, feliciter restitutum fuerit, minus apte illud a malae fidei possessoribus Episcopale denominatur, praesertim cum Majestatis circa sacra jus plus, quam tres illas, easque a Pontifice insuper dependentes juris Episcopalis partes, Ordinem scilicet, Legem Dioecesanam, & Jurisdictionem comprehendat. *Conf. Dn. BOEHMER. d. Disp. C. 2. §. 1. seqq.* ibique alleg. AVTOR.

*Medit.*

*Medit. ad J. P. a. 5. §. 29. Magnif. D. HORN. J. Publ. C. 59. §. 3. STRAVCH. d. Stat. a Summo Princ. §. 26.*

## §. XVIII.

Observationem hanc non inanem esse docetur

Ex quaestione: utrum privatis investendi jus PR. concedere queat?

Affirmandam hanc quaestionem esse demonstratur.

Quemadmodum ergo summum Principis circa sacra jus ex imperio civili rectius derivatur, ita & investiendi Ministros Ecclesiae potestatem ex eodem magis fonte, quam ficto Episcopali jure deducendam puto. Equidem non dubito, fore plerosque, qui nudam tantummodo hanc logomachiam esse, & parum, utrum episcopali, an civilis imperii jure investiendi hoc jus ad Principem spectare dicatur, interesse censeant: At enimvero permagni refert, Principis an Episcopi respectu hoc, quod praedixi, jus Principi vindicetur, atque hujus inprimis quaestionis, utrum Senatui Oppidano, vel cuidam Nobili aliive introducendi parochos jus a Principe concedi queat? decisio ab hac observatione dependet. Namque si a Principe, quatenus Episcopi personam repraesentat, exerceri hoc jus contendas, non poteris non omnes alios, clericali ejusmodi qualitate carentes, hujus potestatis incapaces pronunciare. Sin autem duplicem in Principe respectum non coningas, sed investiendi M. E. jus ipsi ut Principi ex imperio civili, quod rectissimum est, vindices, affirmare necesse habebis, ex Principis privilegio & hanc ab inferioribus potestatem exerceri posse. Vtraque tam Ecclesiastica quam Secularis ad Principem jure proprio jurisdictione pertinet, & quemadmodum hanc, ita & illam, quo investiendi hoc jus referri debet, aliis concedere potest, ea lege, ut eadem, tanquam a summa Majestate dependente jure, utantur. Ecclesiasticam vero civitatibus & Nobilibus mediatis jurisdictionem concedere Principem posse, statuunt hodie Doctores, *III. L. Baro a LYNCKER. Resp. 58. n. 10. KLOCK. Vol. 1. Consil. 51. n. 245. fgg.* eumque in modum JCtos Hallenses respondisse D. BOEH-



D. BOEHMER. *Disp. d. Jur. Episc. Princ. Evang. C.3. §. 11.*  
Ergo investiendi M. E. facultatem iisdem aeque personis  
Princeps poterit impertire.

## §. XIX.

His ita praemissis, affirmare necesse habeo, immemoriali etiam praescriptione dictum investiendi jus acquiri a privatis posse. Quod si enim de expressa Principis voluntate illud asseruerim, de tacito, quem immemorabile declarat tempus, consensu idem erit statuendum. Aliter tamen MEVIVS *L.3. D. 134.* sentit, atque a Senatu oppidano tempore immemoriali investiendi M. E. jus praescribi posse, negat. Ex allegato autem MEVII loco haud obscure intelligitur, & ipsum Principi, non ut tali, sed ut Episcopo investiturae potestatem assignare. Cujusmodi clericalis qualitas cum in ceteris praeter Principem laicis non deprehendatur, non potest non investiturae jus omni illis modo denegari. Verum si dicatur, quod res est, & non Episcopali sed proprio jure atque ob imperium civile ad Principem spectare investituram consideretur, ultro affirmandum erit, ab ipso non tacite minus per immemorabilem praescriptionem, quam expresse investiendi hoc jus inferiorem magistratum impetrare posse. *Vid. BOEHMER. d. Disp. C.3. §. 12.* Atque in hanc sententiam Jcti Jenenses apud LYNCKER. *Dec. 895.* responderunt. Ipsa etiam quorundam locorum consuetudine receptum est, ut investiendi simul vocatum Ecclesiae ministrum jus a Patrono exerceatur. KOEPPEN. *Dec. 1. Enucl. 2. n. 50.*

Immemoriali praescriptione jus investiendi E. M. acquiri posse negat Mev.

At affirmatur.

Quibusdam locis Patroni investiendi hoc jus habent.

## §. XX.

Satis jam constare arbitror, non Episcopali sed proprio atque imperii civilis jure ministros Ecclesiae investire Principem, atque ab eo non expresse minus, quam tacite idem jus acquiri. Quod licet admittant nonnulli, nunquam

Verum a laico ipse investiturae actus peragi possit?

D

quam

Recensentur negantium rationes.

quam tamen ipsum investiturae actum expediri a laico posse, sed a clerico introducendum in Ecclesiam candidatum esse, sibi persuadent. Ecclesiasticum quendam actum investituram esse, ajunt, qualis a clerico non laico pertractari debeat. Longe Theologos melius, quae ad pastoris munus pertineant, scire. Salutaria danda esse praecepta, & gratiam non minus, quam investendum pastorem officii sui diligenter commoneri debere. Habendam praeterea ab investiente orationem sacram esse, qua & candidatus populo, & populus candidato studiosè commendetur. Imo *ex c. 28. X. d. Elect.* probare annuntur, investituram non nisi ab eo, qui ipse investitus est, peragi posse. Idcirco existimant, si ipse forsitan, qui investiendi illud jus a Principe acquisivit, vel alius quidam, clericorum ordini non adscriptus, in Ecclesiam introducat ordinatum candidatum, eique publicam in ea docendi administrandique sacra facultatem impertiatur, daß er sich hinführo der Cangel / Beichtstuhl / Altar x. bedienen möge / id introductionis legitima loco habendum non esse, sed solennem a Theologo institutionem fieri oportere. MEV. P. 3. D. 134. pr. BRVN-NEM. d. J. E. 1. 5. 27.

## §. XXI.

Etiam a laico investiturae actum expediri posse affirmatur.

Quae tamen omnia tantum mihi roboris habere non videntur, ut, a laico introduci quem in Ecclesiam posse, negarem. Enimvero investitura actus sua natura sacer non est, eamque ad ordinis actus referendam esse, ipsi nolunt Pontificii, quum Episcopum etiam non consecratum instituere posse, concedant. PETR. LEVRENIUS *in for. benef. P. 2. qu. 109.* Fatentur praeterea, eò casu peragi a laico investituram realem posse, si non aliam, quam realem in beneficii locum introductionem, ceremoniam Ecclesiasticam comprehendat. ZOES. *ad X. Tit. d. Instit. n. 4.* L. ENGEL. ad

ad eund. Tit. n. 5. Nihil itaque prorsus ob stare video, quominus rite vocatus Ecclesiae minister, *δομναστικῶν* habita oratione, a populo approbatus, atque a Principe confirmatus, introduci a laico queat. Adducta praec. §. dissentientium argumenta perfacili refutari negotio possunt. Ecclesiasticum, inita objecti ratione, actum investituram esse, largior, sed quis ideo a clerico tantum suscipiendum eum esse asserat? Concedo, accuratori eorum, quae ad pastoris munus requiruntur, Clericos interdum notitia excultos esse, exinde tamen male rursus colligitur, jure quasi ad eos proprio investiturae actum pertinere. Pastoris munus S. Codice accurate descriptum est, atque in ipsis praeterea ordinationis solennibus rursus haec talia a Theologo inculcantur, hinc neque repeti in investitura necessario debent; imo si deberent, a laico harum rerum perito aequae commode proponi possent. Sacra ab investiente oratio habenda semper non est, neque ad investiturae solennia omnium locorum consuetudo eam refert, sed per brevi ad populum sermone habito, datisque de reverendo pastore sponsonibus, omnis investiturae actus rite celebratus existimatur. Tandem allegatum c. 28. X. d. *Elect.* de hoc nostro casu nihil disponit, ordinisque & Legis Dioecesanæ actus quosdam recenset, quos, impetrato demum pallio, expedire Archiepiscopum posse, constituitur.

## §. XXII.

Interim consultum magis esse lubentissime fateor, ut Theologo hic introducendi actus committatur, praesertim cum ejusmodi, quae non nisi a clerico expediri possunt, adhibitis solennitatibus, celebrari plerumque investitura soleat: Atque illud quidem generali ferme totius Germaniae consuetudine receptum est, ut a Superintendente, Pastore Primario, Inspectore, vel Collega illius Ecclesiae, in qua sa-

D 2

cro

Refutan-  
tur dissen-  
sientium  
argumenta.

In Germa-  
nia Cleri-  
ci peragunt  
investitu-  
ram Eccl.

cro deinceps munere perfungi debent, candidati solemniter introducuntur. Cujusmodi tamen actui Laici etiam Principis nomine interesse solent, id quod in solempni illa B. D. CALOVII introductione observatum fuisse, ex Actis addiscitur, cum ad peragendam investituram una cum B. D. WELLERO, Concion. Aul. Summo, B. WOLFF. LOESER, Marefch. Hered. & Curiae Provinc. Vitemb. Praefes missus a D. ELECTORE legatur. Superintendentis ad supremum Aul. Concionatorem, vel generalem, si adsit, Superintendentem, reliquorum vero Ecclesiae Ministrorum investitura ad Superintendentem ejus dioeceseos, in qua Ecclesia, cui novitius pastor praeficitur, sita est, pertinere solet. *Vid. Ord. Eccl. El. Saxon. Tit. Gemeine Form und Weise x. Gothana Tit. Von der Introduction &c. Hasfiaca Tit. Von Annehmung und Beurlaubung der Praedicanten.* In Saxonia Elect. Superintendenti peculiare de introducendo quodam vocato confirmatoque pastore mandatum, quod Introductionis - Investitur - Befehl vocant, a Consistorio dari solet. Superintendentes tamen, si casu impediti expedire hunc actum nequeunt, aliis aequae Ecclesiae ministris demandare eundem libere possunt. *d. d. Ordin.* Illis interim, quibus commissum introducendi munus est, sedulo incumbit, ut statim, atque vocatus quis confirmatusque Ecclesiae minister est, non post aliquot demum annorum spatium investiat. Quod quidem in Saxonia Electorali Superintendentibus expresse *d. Ordin.* injungitur, ut quantocyus auförderlichste / pastores introducant. Ex quibus consequi videtur, si, dilata sine justa causa introductione, Ecclesiae ministrum, diu jam munere perfunctum, nunc demum introducere Superintendens velit, eum non admittendum, multo minus, investitura prorsus sic omissa, quod pro hoc alioquin expediendo actu solvitur, salarium ipsi tradendum

Statim investitura fieri debet.

Superintendens post aliquot annorum spatium investituram expediturus,

dendum esse. *Vid. B. ZIEGLER. d. Superint. C. 15. s. ult.* admittendus non est.

## §. XXIII.

Eandem vero, cui investendus Ecclesiae minister addictus est, religionem Superintendentem, vel alium, qui investire debet, profiteri oportere, vulgo existimatur; aeque ac ordinationem, ut valida sit, ab ejusdem religionis cleris impetrandam censent, quales si eo in territorio, quo sacra ordinandus administrare debet, non reperiantur, alio, quem ipsae delegerint Ecclesiae, loco peragi ordinationem posse, *Pace Osnaabr. a. 7. §. 1. in f.* constitutum est. Dignum interim commemoratione est, quod Abbatem Luccensem, Theodorum III. A. C. addictum, Catholici Coloniae Diaconum & ministerii Presbyterum ordinaverint, *ILL. LEIBNIT. Tom. III. Script. Brunsvic. pag. 699.* Quicquid hujus rei sit, a diversae religionis clerico fieri inaugurationem, atque adeo orthodoxum ab heterodoxo introduci in Ecclesiam posse, affirmare audeo. Nihil expedire investiens amplius debet, quam ut investendum publice Ecclesiae sistat, docendi administrandique in eadem sacra potestatem Principis jussu candidato concedat, coetumque ad auscultandum reverendumque eum veluti Doctorem adhortetur. Quae omnia cur ab heterodoxo peragi nequeant, rationem nullus video. Praeterea cum in orthodoxa etiam Ecclesia ordinationem, essentialibus ejus observatis, ab heterodoxo factam valere, ipsi passim Theologi & Jcti concedant, *HVLSEM. in Brev. Theol. C. 19. Suppl. §. 8. & in Apolog. ministr. Evangel. §. 39. in f. & §. 38. BRVNNEM. d. 7. Eccles. 1. 5. 20.* peractam ab eo investituram multo magis subsistere credam. Quibus de causis dubitandum prorsus non est, Lutheranae Ecclesiae ministrum, si eo, quo colligitur illa Ecclesia, territorio non nisi Catholici

tholici Clerici deprehendantur, ab aliquo eorum in orthodoxam, ad quam vocatus est, Ecclesiam valide introduci posse, & talem ab heterodoxo factam introductionem, modo heterodoxam proponere doctrinam expresse candidatus non fuerit iustus, idem, ac si orthodoxus peregrisset, robor pondusque habere. HVLSEM. d. l. C. 19. §. 25. Et licet juxta *alleg. Pac. Osnabr. Instrum.* ordinatio ab alterius territorii ministerio impetrari tali casu queat; non aequae tamen diversae provinciae clerico, eidemque eam, cui investiendus addictus est, religionem profitenti, demandari investiturae actus poterit, cum ea de re *alleg. Lege publica constitutum* nihil reperiat, & facile tumultus istud negotium excitare posset. Tutius itaque praedicto casu vel omittitur plane investitura, vel diversae etiam religionis clero expedienda demandatur.

## §. XXIV.

Orthodoxum heterodoxum in Ecclesia pariter heterodoxam introducere potest.

Major de ea quaestione, utrum heterodoxum orthodoxum in Ecclesiam introducere possit? superest dubitatio; in quo pertractando argumento Doctorum animi in contrarias sententias distrahuntur. Plerique eum commendari Ecclesiae posse negant, quem puriori doctrinae non esse addictum, investiens plane non ignorat DEDEKENN. *Vol. 1. p. 2. S. 7.* Imo in conscientia peccare eum censent, qui candidatum, puriori sacrorum cultui minus deditum, coetui ceu ducem ac doctorem sistit, atque animarum ipsi curam commendat, quum tamen in similes doctrinae errores ab ejusmodi pastore inductum gregem iri certissime sciat. Quae quidem argumenta haud nullo nituntur fundamento, atque heterodoxum in orthodoxam introduci Ecclesiam non posse, extra dubitationem constitutum arbitror. Verum in heterodoxam pariter Ecclesiam, quae secundum Imperii leges tolerari quodam loco debet, heterodoxum ab orthodoxo

thodoxo immitti posse, certissimum est: Neque enim tali Ecclesiae alius, nisi ei, quam illa ipsa profitetur, religioni addictus commendari potest, & licet vel maxime orthodoxum orthodoxus introducere vellet, eum tamen heterodoxa Ecclesia repelleret. Quapropter cum Pontificii, qui liberum aliqua anni MDCXXIV. parte religionis exercitium inter Lutheranos habuerunt, in posterum quoque illud libere retinere debeant, nihil ob stare video, cur non ab Evangelico Sacrorum Antistite pastor Pontificius introduci possit.

## §. XXV.

Atque haec a Clerico regulariter expedienda investitura in liberis non minus quam patronatis Ecclesiis obtinet, ac tantum abest, ut impedire eam Patronus possit, quin potius non praesentatus ab eo Ecclesiae minister a Superintendente interdum recte introducat. Varios, quibus, non praemissa Patroni praesentatione, fieri ab Episcopo institutio possit, casus recenset BARBOSA *d. 7. E. 3. 12. n. 171. sqq.* quorum vero plerique ad praesens argumentum applicari commode nequeunt. Duos tamen cum primis casus, quibus candidatus quidam a Patrono non prius praesentatus Principis vel Consistorii jussu investiri a Superintendente possit, extare video: Si 1.) statutum ad praesentandum tempus ex negligentia praeterlabi patronus patiat. Tempus hoc *c. 12. §. 22. X. d. Jur. Patron.* determinatum legitur, atque Ecclesiae favore, ne Rectore illa diu destituta sit, dispositum id ita fuit. Idem ferme *Ord. Eccl. Hassiaca Tit. Von Annehmung und Bewilligung der Praedicanten 2c.* constitutum reperitur, & notari meretur, in Hassia Superintendentes hoc casu ipsos propria auctoritate aliquam ad sacrum munus personam deligere, delectamque investire posse. Cujusmodi tamen Jure Can. definitum ad praesentandum

In omnibus Ecclesiis locum habet investitura.

Quibus casibus etiam sine praecedente praesentatione fieri investitura possit.

tandum spatium ob annum gratiae in foro cumprimis Saxon. non observari tradit CARPZ. *d. 7. E. 1. 15. n. 2.* Plerumque etiam si in praesentando negligentiam committat Patronus, a Consistorio prius admonetur, qua admonitione non attenda, tum demum Ecclesiae minister eligitur, electusque ordinari atque investiri jubetur. CARPZOV. *d. 1. 2.)* Si incapacem, indignum, vel non rite electum Ecclesiae ministrum praesentaverit Patronus, atque alium intra certum temporis spatium praesentare iussus negligens fuerit. *a. c. 2. X. d. Suppl. neglig. Patron.*

## §. XXVI.

In Patronatis Ecclesiis absque praesentatione investitura fieri nequit.

Vtrum patroni quoque praesentia requiratur.

Certum alias indubitatumque est, in patronatis Ecclesiis institutionem, absque patroni praesentatione factam, irritam ac plane nullam esse *c. ult. X. d. Instit. c. 16. quaeft. 7.* Imo praesentatus candidatus, sciente ac praesente patrono, introduci secundum plerorumque sententiam debet. Quod quidem Jure Can. expresse constitutum non reperitur, atque in dubium haec vocari assertio vel eam ob causam posse, videtur, quod investiendi hoc jus ad Principem solum spectet, nihilque de eo Patronus participet, neque ullum ei, cum praesentandi jure semel usus fuerit, amplius praejudicium enasci plane possit. Verum enimvero, sciente praesenteque Patrono ut introducatur candidatus, singularia ejus in Ecclesiam merita svadent juxta ac postulant. Atque cum toti coetui, institutum iri Ecclesiae ministrum, publice prius denunciatur, isque ad hunc actum quasi invitetur, nullam prorsus causam adesse video, quamobrem ignorante absenteque, cui permultum debet Ecclesia, patrono solennis hic & publicus actus debeat expediri. Idcirco Ecclesiasticis plerorumque Principum Evangelicorum legibus Superintendenti vel aliis, quibus commissum investiturae munus est, expresse injungitur, ut, praesente Patrono, ordinatus Eccle-



Ecclesiae minister inauguratur, *Ord. Eccles. Elect. Sax. Rubr. Gemeine Form und Weise* *ic. verbis*: So soll der Superintendentens &c. Magdeb. C. 16. §. 1. Gothana C. 3. §. 6. *verbis*: Und wenn das geschehen *ic. vid. CARPZOV. d. Jur. E. 1. 55. B. ZIEGLER. d. Superint. C. 15. §. 4.*

## §. XXVII.

Neque vero Patroni tantum in investiturae solenni-  
 bus praesentiam DD. exigunt, sed primum etiam ipsi locum  
 in publicae, qua ad templum itur, processionis actu *ex*  
*c. 16. qu. 7. §. c. 25. X. d. Jure Patron. B. ZIEGLER. d. l. §. 4.* processionis  
 vindicat. Scilicet adductis his Juris Canonici textibus pa-  
 trono processionis quidam honor expresse adscribitur, quem  
 praeceminentiam seu primum atque eximum locum deno-  
 tare Interpretes tradunt, ita, ut singularis patrono honor  
 exhibendus, & primus ac praecipuus in actibus solennibus  
 ipsi locus concedendus sit. ZOESIVS & VALLENSIS *ad c. 25.*  
*X. d. Jur. Patron. ENGEL. in Colleg. J. C. ad eund. loc. n. 2.*  
 A. BARBOSA *d. J. E. L. 3. C. 12. n. 280. sq. HOSTIENSIS ad*  
*d. c. 25. Cujusmodi Canonistarum explicationem multi*  
 Nostratum approbant CARPZOV. *d. J. E. 1. 55. n. 10. FIN-*  
 CKELTH. *d. J. Patron. C. 6. n. 147.* & quum apud nos non so-  
 lennis aliqua, nisi quae ad peragendam investituram institui-  
 tur, processio usurpari soleat, praecedentiae quoddam exinde  
 in his solennibus jus patrono B. ZIEGLER. *d. l.* asserit. Sed  
 enimvero cum alias multas dictorum textuum interpreta-  
 tiones, tum eam in primis, qua de praeceminentiore in acti-  
 bus solennibus loco explicantur, analysin rejicit GONZA-  
 LEZ. TELLEZ. *ad d. c. 25. X. d. Jur. Patron.* atque nihil hic  
 Patrono praecipui praeter processionis aditum, i. e. ad  
 istam, quam extruxit, Ecclesiam accessum, qui omnibus  
 Christianis debetur, adscribi, accurate docet. Etenim ex  
 variis monumentis coaevis addiscitur, processionem non  
 deambu-

B. Ziegler  
 praecedentiam  
 patrono in  
 processionis  
 investiturae  
 vindicat.

Processio-  
 nis hono-  
 rem per  
 primum in  
 actibus so-  
 lennibus  
 locum DD.  
 interpretantur.

Quam in-  
 terpreta-  
 tionem re-  
 jicit Gonza-  
 lez Tellez.

deambulationes extra templum, sed conventum ac coetum populi in ipsis templis significare. Qua significatione facpius hanc vocem Tertullianus accepit, & graeca septimi Concilii Laodic. canonis verba: Περὶ τῶ μὴ δεῖν συναπτεῖν ἐν τοῖς συναίξεσι τῶς ψαλμῶς. Vetus interpres vertit: *In processionibus psalmos non convertere.* Quodsi etiam praecedentiae quandam praerogativam impertiri *d. l.* Patrono Pontifex voluisset, processionis aditum omnibus Christianis communem non appellasset. Animadvertendum tamen est, *c. 25. X. d. Jur. Patr.* processionis honorem, non

Haud tamen inepra communis illa explicatio est.

Christianis omnibus communem sed patrono proprium constituere Clementem III. &, cum ejus aeo solennes extra templa deambulationes frequentissimae essent, ideo processionis jus de honoratori in processionibus & ceteris actibus publicis loco, patrono assignando, vulgo interpretantur. A quo quidem communi, explicandi processionis honorem, modo non esse recedendum, ipse TELLEZ, *l. all.* confitetur. Atque hac ratione recte sentire videtur B ZIEGL. *d. l.* & in solenni, quae ad peragendam investituram instituitur, processionis actu secundus a Superintendente locus, nisi aliud locorum consuetudo introduxerit, Patrono relinquendus erit.

Quomodo per investituram Eccl. patronatus jus probari queat?

§. XXIIIX.  
Praeter hunc processionis honorem & illa ex investiturae actu ad Patronum redundat utilitas, quod patronatus jus, si dubium hoc ipsi ac controversum reddatur, per eundem probare possit. Etenim si, quod fieri quibusdam locis solet, totus investiturae actus actorum monumentis ab actuario quodam jurato diligenter consignatus fuerit, iisque, tali actui Titium ejusque majores tanquam patronos semper interfuisse, illisque consuetum exhibitum honorem esse, referatur, dubium plane nullum est, quin

vetus

vetus non minus quam novum patronatus jus certum exinde indubitatumque reddatur. Atque, omiffa ejusmodi confignatione, fi Ecclesiae miniftri, testium loco in investiturae actu adhibiti, vel aliae fide dignae personae de his, quae praedixi, ferrent testimonium, fatis vel hac ratione de eo, cui jus competat patronatus, constabit. Eundem per investituram jus patronatus probandi modum B. ZIEGL. *d. Superint. C. 15. §. 4.* agnoscit, eoque consilio FINCKELTH. *d. 7. Patron. C. 8. n. 58.* allegat. Quem tamen Autorem de eo casu, si patronatus quis jure investitus ex investiturae idem illud jus literis probare velit, ibidem loqui, ex allegato apud eundem ROLANDO a VALLE intellexi: Neque ea, quae *n. 95. all. l. FINCKELTH.* adducit, ad praesens argumentum pertinent, cum ibidem ex confirmantis praesentatum Episcopi literis patronatus jus probari posse, solum contendat. Forfan huc ea magis spectant, quae de patronatus jure, per processionis honorem patrono competentem probando, *all. l. n. 43.* idem Auctor in medium profert. Modo observem, ex eo, nisi alia concurrant, fatis praedictum jus non demonstrari, quum processionis seu proedrias jus, quod patrono in investiturae solennibus quosdam asserere, *s. praec.* dictum fuit, non ubivis locorum attendatur.

## §. XXIX.

Variis illis, quae in investiturae actu adhibentur, solennitatibus manuum nonnulli impositionem adconsent, ritum perantiquum & Mosis jam tempore a Judaeis eo maxime casu usurpatum, cum publicum cuidam personae munus demandaretur *Num. 27. v. 18. Deut. ult. v. 9.* Quam imponendi manus consuetudinem libere receperunt Apostoli, eamque non ut ecclesiasticum aliquem ritum, sed miraculis plenum & Spiritus S. dona conferentem, non in

Vtrum  
manuum  
impositio  
in investi-  
turae actu  
requiratur.

Presbyterorum tantum constitutione, sed variis passim occasionibus oblati, adhibuerunt. Neque illis etiam semper, quibus docendi Evangelium administrandique sacramenta jus conferebatur, imposuisse manus Apostolos, & sacras nihilofecius ἀφορισμένως Ecclesiae Doctores functiones administrare potuisse, ex variis Codicis S. locis *Aët. I. 26. XIII. 1.* perfacile est ad intelligendum. Ex quo simul colligo, ad separandos a ceteris Ecclesiae Doctores χειροθεσίαν adhibendam necessario non esse, nec Jure Divino praeceptam adeoque ecclesiasticis tantummodo ceremoniis adnumerandam B. GERHARD. *Loc. d. M. E. n. 139.* B. HVLSEM. *Brev. Theol. in Suppl. c. 19. n. 3.* D. BOEHMER. *d. Orig. J. E. c. §. 2. seqq.* Quae cum ita sint, multo minus introducendo Ecclesiae ministro imponendae denuo manus erunt; neque tamen obstare quicquam video, quo minus ecclesiasticus hic ritus inter adiaphora referendus, idemque jam semel adhibitus, in investiturae denuo actu repeti possit. Id quod *Ordin. Eccl. El. Sax. Tit. Gemeine Form und Weise x. §. Nach dem Gebeth x.* constitutum legitur. Observare tamen necesse habeo, prima Articulorum generalium editione, quae investiendi ritus describit, manuum impositionem plane non commemorari. Interim non necessario, pie tamen in introductionis solennibus peranti-quum imponendi manus ritum iterari, Venerandus Theol. Vitemb. Ordo *M. Aug. 1618.* respondit *Conf. Respons. Theol. Vit. P. 2. T. 1. p. 38.*

## §. XXX.

Investitura  
temporalium.

Peraeta, qua animarum cum primis cura pastori demandatur, spiritualium investitura, in parochialem is domum deducitur, deductoque percipienda ob sacros labores praemia reditusque commonstrantur. Temporalium haec a multis investitura appellatur, atque Ecclesiasticis non-

nonnullorum locorum legibus, Gothana cum primis *Ordinatione* §. 2. expedienda praecipitur, verbis: Es soll der Superintendentens samt den Beamten/ Patronen oder Lehr- Herrn auch Vorstehern und Eltesten von der Gemeinde dem Pfarrer das Pfarr- Haus und seine Zubehör samt einem Inventario nach beschehener Besichtigung übergeben und ihm anbefohlen *et.* Quam bonorum traditionem multis locis Patroni sibi vindicant, & parochialibus ejusmodi bonis pastorem, datis investiturae literis, atque exacto quodam laudemio, investiunt. *vid. Ordin. Eccl. Magdeb. Augusti Administr. C. 15. §. 10.* Quo tamen loco de jure exigendi pro investitura laudemii ita disponitur, *Wovor* der Collator oder Patronus nichts fordern auch nichts nehmen soll / ausser in denen Fällen / da es also herkommen / daß ein gewisses Anzeigeld oder Getreide also dann gefällig / welches aber nicht der neue Pfarrer / sondern die neue Kirche hergeben soll. Eandem temporalium investituram patrono, Episcopo excluso, Pontificiis etiam quibusdam locis competere, asserit ENGEL. ipse Pontificius, *Colleg. J. Can. tit. X. de Instit. n. 6.* Quod mirum videri debet, cum alias bonorum Ecclesiae destinatorum administratio ad Episcopum pertineat. *Vid. B. ZIEGL. d. Dat. Eccles. C. 12. n. 10. seq.* Certum interim exploratumque est, ejusmodi investiendi parochialibus bonis pastores consuetudinem ubivis ferme obsolevisse, quibusdam etiam locis, ne eos vasallorum loco patroni habeant, plane abrogatam esse.

## §. XXXI.

In his, quae salarii loco in investiturae plerumque actu Ecclesiae ministris assignari dixi, parochialibus bonis ac redditibus quodnam ipsis jus competat, breviter exponendum est. Beneficii nomen, ex Jure Feudali desumptum, haec talia bona accepisse, §. 1. observavi, qua significatione beneficium

Quis eum  
expediat.

Quid juris  
in parochialibus bonis redditibusque clericis habeant.

cium per jus percipiendi redditus ex bonis Ecclesiae Ecclesiastica auctoritate constitutum definiunt. BARBOSA *d. 7. E. 3. 4. n. 5.* Inde parochi aequae ac vasallo utile quoddam Ecclesiastici beneficii dominium, ut arbitrato suo eodem uti possit, competere, existimari forsitan posset; at enim verò non proprietatis alicujus sed usufructus jure, ut habeant, unde vivant, Ecclesiae ministris ejusmodi bona possidenda ut plurimum concedi, ex Ecclesiasticis legibus cognoscitur. Atque huc B. LVTHERI *Tom. 6. Vitemb. fol. 332.* pertinet judicium: Niemand kan läugnen / daß kein Pfarrer Herr etwas eignes an der Pfarre hat / sondern seyn Gäste in den Pfarre-Gütern / und müssen sie hinter sich lassen / wenn sie sterben. Neque tamen indistincte, usufructuarii tantum pastorem vices gerere, affirmandum est. Etenim ipsorum, ex parochialibus bonis perceptorum, fructuum reddituumve dominium ac proprietatem clericis recte SARPIVS *d. Benef. art. 25.* adjudicat, quo loco per aliquot secula hoc de argumento disceptatum fuisse, refert, a qua sententia B. ZIEGL. *d. Doct. Eccl. C. 9. §. 33.* non est alienus, atque celebriorem illam quaestionem, utrum ditiores, qui ex propriis se bonis exhibere possunt, Ecclesiae Ministri juste hos redditus percipiant, variis ea de re prolatis sententiis, ibidem affirmat. Parochialium vero aedium usus tantum parochis plerumque competit: Vnde eas locare aliis non possunt, ac ne inquilinos quidem, (quod tamen jure communi *L. 2. §. 1. L. 4. pr. d. Vsu & habit.* usufruario permittitur) recipere in Saxonia possunt. *Ord. El. Sax. art. gen. 32. in f. L. 18. d. 1.* ideo & hoc parochis onus in Saxonia *d. Ord. Eccl. imponitur, quam tamen Saxoniam, de reficiendis a parochis modice aedibus, legem in ipsa Saxonia non observari, tradit Illustr. BERGER. in Oeconomia Juris. Lib. 2. T. 3. p. 323.* Agros

Agros atque alia rustica parochialia praedia ususfructus jure ad Ecclesiae ministros pertinere, communis sententia est, *vid. CARPZ d. J. E. 2. 353. seqq. Dn. BOEHMER. d. l. Par. S. 5. C. 2. S. 15. fgg.*

## §. XXXII.

Neque vero eorum, quae usus aut ususfructus jure ipsi Ecclesiae ministri possident, solum bonorum, sed aerarii Ecclesiastici etiam cura atque ephoria, dum investuntur, illis commendatur. Atque hoc *Ord. Eccl. Gotb. C. 3. §. 6. verb. Zum dritten* x. Superintendentibus expresse injungitur, ut bonorum ad illam, in quam parochus introducitur, Ecclesiam pertinentium curam studiose ipsi committant. Ad solum olim Episcopum cura ac dispensatio talium bonorum pertinebat, *Can. Apost. 38. 41. & can. 25. Antioch. Concilii τῶν τῆς Ἐκκλησίας πραγμάτων ἐξουσία* eidem conceditur. Verum, cum ii, his rebus gerendis intenti, a divinatorum officiorum curatione avocarentur, certi quidam, qui Ecclesiastica bona administrarent perinde ac rationes conficerent, oeconomi, inspectione tamen Episcopis relicta, patrum decreto *can. 26. Concil. Chalced.* constitui debuerunt. In Protestantium terris hoc in negotio Episcopi Superintendentes vel Inspectores, *Oeconorum locum curatores Ecclesiarum die Kirch-Väter / Rasten-Vorsteher* tenent, & generalis in omnia parochialia Dioeceseos bona inspectio Superintendenti, praesertim apud Saxones, competit. Cujus tamen curae ipsi simul cujusque Ecclesiae ministri participes sunt, eaque in investiturae ipsi actu gerenda recte committitur, cum quilibet parochus bonorum ad Ecclesiam, cui praeest, pertinentium inspectionem specialem habeat, & curatorum consilia atque examinare ac moderari teneatur. *Ord. Eccl. Sax. art. gen. 35. Decret. Synodale d. ann. 1624. §. Und weil die* *Quos*

Cura parochialium bonorum parochis in investiturae actu committitur.

Quos Juris Saxonici textus CARPZ. *J. E. L. 2. d. 313. sqq.* prolixè exponit.

## §. XXXIII.

Non adeo magni in expedientiam investituram sumtus erogari debent.

Ceterum multi, & quales ad luxum propius accedunt, tales peragendo investituræ actui sumtus per sæpe impenduntur. Quibus adeo immodice faciendis variis Principum Evangelicorum Ecclesiasticis legibus modus statutus est, neque adeo magnas in parandum convivium impensas erogandas esse, in *Elect. Sax. Resol. Grav. d. anno 1665. Tit. Bon Consistorial-Sachen §. 14.* constitutum reperitur. Cujusmodi piorum Principum leges eo sanctius servandæ sunt, quo graviora ex earum neglectu in Ecclesias damna quotidie redundant. Enimvero cum ad celebrandum introductionis actum secundum veriore CARPZOVII *d. J. E. 1. 56.*

Qui ex aerario Eccles. defumendi.

sententiam ex aerario Eccles. suppeditari debeant sumtus, facile exhauriri illud plane posset, si ad solemnia hæc instituenda nimis magnæ præter necessitatem pecuniæ conferrentur. Interea si ita inops atque exhaustus, ut ne tenues quidem ac modicæ ad expediendum hunc actum impensæ defumi exinde queant, fiscus Ecclesiasticus fuerit, ad exsolvendas eas parochianos, habita tamen bonorum facultatumque ratione, adstrictos esse rectè CARPZ. *d. 1. D. 57.* contendit.

Aut in subsidium a parochianis suppeditandi sunt.

Matrimoniali conjunctioni æquiparari a Canonistis investituram contendit Schilt.

At illi magis ordinationi aut

## §. XXXIV.

Tempus ac ratio instituti nunc me monent, ut quid secundum Canonistarum mentem operetur hæc ministrorum Ecclesiæ investitura, breviter exponam. Matrimoniali, ex qua tot insignes deducunt vulgo effectus, conjunctioni eam æquiparari, SCHILTER. in *J. J. Can. 1. 16. 12.* tradit. At enim allegatis a SCHILTERO *J. Can.* textibus præcise non asseritur, missione in beneficii possessionem, cui recepta apud nos Ecclesiastica investitura exaequatur, spirituale



tuale ejusmodi inter pastorem atque Ecclesiam contrahi alii actui  
 matrimonium. Ipsi etiam passim Canonistae docent, con- hoc matri-  
 jugale inter Ecclesiam & Prælatum vinculum electione at- moniale  
 que electi assensu initiari, confirmatione ratificari, conse- vinculum  
 cratione confirmari. JVL. PACIVS *Isagog. ad X. T. d. elect.* adscribunt.  
*& elect. potest.* Forfan, cum electionis, confirmationis, ac ordi-  
 nationis haec in sacrum officium deductio sit quaedam quasi  
 executio, de eadem praecipue hoc, quod ceteris actibus  
 Pontificii assignant, matrimoniale vinculum SCHILTERVS  
 interpretatur. Interim sive investitura sive alio quodam Minus re-  
 actu inter pastorem atque Ecclesiam spiritualis conjugii cte dicitur  
 foedus iniri, atque hanc veluti sponsam illi tanquam spon- matrimo-  
 so desponderi, asseratur, inconcinne tamen semper ejus- nium spiri-  
 modi matrimonium confingitur. Ecclesiae sponsae quidem tuale inter  
 S. Codicis nomen tribuitur, eaque Christo sponso despon- pastorem &  
 sari dicitur; at nunquam pastoris sponsa appellatur, qui Ecclesiam  
 sponsi minister est, & veluti *παρανύμφος* vel *ἡὸς τῆς νύμ-* contrahi.  
*φῶν* domino sponsam adducere debet. *Matth. IX. 15.*  
 Pastores, qui tale affectant matrimonium, &, cum servi-  
 re solum debeant, heros se constituunt, adulteros, non  
 sponso, licet summus Ecclesiae Romanae Episcopus fuerit,  
 appellandos esse, B. ZIEGLER. *ad Lancell. 1. 17. §. 2.* docet.  
 Et licet in notis ultimae SCHILTERI *Inst. Jur. Can.* edi-  
 tionis adjectis moneatur, metaphorice tantum Ecclesiae  
 sponso respectu rerum, quas ei infert, & dissolutionis  
 difficultatis, comparari pastorem; rectius tamen ad so-  
 lum Christum, unicum Ecclesiae sponsum ductu divinio-  
 ris Codicis metaphorica talis locutio restringitur. Quibus Nostrates  
 etiam de causis plerique Nostratum accuratius docent, in- vestituram  
 vestiturae actu realem parochum inter & parochianos con- realem in-  
 junctionem, atque adeo arctum contrahi vinculum, ut ter paro-  
 nec ille suam deserere Ecclesiam nec parochiani alibi sa- chum & pa-  
 rochianos

conjun-  
tionem  
operari.

Debet ergo  
Pastor  
1) Ecclesiae  
constanter  
adhaerere.

2) In ea-  
dem resi-  
dere.

Residendi  
hoc jus  
aeque  
apud Pro-  
testantes  
observatur.

Non ta-  
men pastor  
renunciare  
suo officio  
vel ad ali-  
am Eccle-  
siam transi-

cris vacare queant. SCHILTER. *d. l. ZIEGL. d. Superint.*  
*C. 15. §. 2.*

§. XXXV.

Investitus itaque parochus constanter adhaerere Ec-  
clesiae tenetur, nec belli, pestis, aliusve publicae calamita-  
tis tempore ab eadem discedere potest. Quod ad vexa-  
tionem tamen, totam ne Ecclesiam, an pastorem tantummo-  
do personam concernat, distingvendum putant, & postero-  
ri casu, Christi Servatoris exemplo, fugam permittunt. *vid.*  
B. STRYK. *ad BRVNN. J. E. 1. 6. 12.* Praeterea in propria,  
in quam introducti sunt, Ecclesia Parochi vere residere  
*c. 7. S ult. qu. 1. c. ult. X. d. Cler. non resid.* jubentur, atque  
in eos, qui a commissis sibi Ecclesiis per saepe absunt, va-  
riis Conciliorum *Antiocheni, Laodicensis, Sardicensis* alio-  
rumve canonibus graviter animadvertitur. Neque illos  
etiam, qui, dum absunt, vicaria aliorum in obeundo, quod  
administrare ipsi deberent, munere sacro opera utuntur,  
excusandos esse, *c. 3. X. d. 1. statutum est. Conf. DVAREN.*  
*d. S. E. M. Lib. 8. c. 5.* Apud Protestantes item non pro-  
miscue, neque aliter, nisi impetrata a Superintendente aut  
Consistorio venia, a parochiis pastoribus abesse licet, at-  
que ob susceptas promiscue & recreationis tantummodo  
causa peregrinationes, suspendi & removeri interdum eos  
posse, D. BOEHMER. *d. J. Par. S. 3. C. 1. §. 44.* adducto  
Jctorum Hallensium hanc in sententiam scripto Responso,  
testatur.

§. XXXVI.

Interim ob realem hanc, quam investituram constitui  
ajunt, conjunctionem Ecclesiastico officio renunciare paro-  
chi non prohibentur. Licet enim ordinis renunciatio-  
nem vel desertionem in *Trident.* praesertim *Concilio Sess. 23.*  
*d. ordine c. 40.* damnet Pontificii, eamque delictorum Ec-  
clesiasti-

clesiasticorum numero adscribant; resignationes tamen eo re prohibe-  
 fine, ut vel resignans a sacro ministerio prorsus absteineat, <sup>cur.</sup>  
 vel ut in aliam Ecclesiam transeat, iustam ob causam in-  
 stitutas admittunt. Plerumque autem avaritia atque am-  
 bitione inducti ab una ad aliam Ecclesiam transferri Cleri-  
 ci cupiebant; idcirco non omnes, nisi ob Ecclesiae neces-  
 sitatem utilitatemque factae, translationes licitae credebantur,  
 atque *in Syn. Sardic. c. 1.* avaritia, ambitio, & malae  
 artes, quibus permoti ad majores opulentioresque subinde  
 parochias Clerici contendunt, rejiciuntur perinde ac dam-  
 nantur. Ecclesiae apud Protestantes ministri, iidemque Eti-  
 am ap. Protestan-  
 tes resigna-  
 re officio  
 parochi  
 possunt.  
 in particularem quandam Ecclesiam introducti utroque iti-  
 dem modo, adhibita Consistoriorum auctoritate, iustis ex  
 causis resignare possunt. Maxime tamen ab una ad aliam  
 Ecclesiam factae translationes usitatae sunt, atque urgente  
 necessitate, vel concurrente cujusdam Ecclesiae utilitate,  
 licitae existimantur. Necessitatem ex impetrata ad aliam  
 Ecclesiam vocatione deducunt, atque, ut divina illa sit, re-  
 quirunt. Plerumque ad pingviorem, non item ad eam,  
 ubi tanti expectandi reditus non sunt, Ecclesiam vocationes  
 divinas censerunt, Patres jam *in Concil. Sardic. c. 1.* obser-  
 varunt, hanc, interdictarum eodem Concilio, promiscuarum  
 translationum rationem addentes: *quod nullus adhuc Epi-  
 scopus inveniri potuerit, qui de civitate majori in minorem  
 transisset.* Illud sane omnes facile concedent, Ecclesiae  
 ministerium, certo cuidam coetui dedicatum, ac nihilose-  
 cius cujusvis vacantis Ecclesiae ministerium ambientem, at-  
 que ad discedendum a commissa sibi Ecclesia sine justa  
 causa primum, vel animi levitatem, vel avaritiam, vel  
 ambitionem declarare B. OSIANDER, *in Epit. H. E. Cent. 1.*  
*C. 14.* Quibus etiam de causis *Ord. Eccl. Argent. T. 9.*  
*Vom Veruff und Annehmung der Kirchen / Magdeb. C. 14.*

sed quae  
ex iusta  
causa fiunt  
licitae  
sunt.

§. 12. aliisque Principum Evangelicorum Ecclesiasticis legibus ejusmodi Parochorum mores reprobantur. Interea quin obeundum in alia Ecclesia munus sacrum iustas ob causas peti queat, dubitandum plane non est, qualis solum studiorum v. c. ob agriculturam impedimentum, siquidem parochum dimittere Ecclesia nolit, existimari non debet. Quodsi tamen nec coeli ferre temperiem, nec victui quodam loco assuescere pastor queat, atque ideo infirma semper utatur valetudine, iustam tum eum aliud ambiendi munus sacrum habere causam, Ven. Theol. Vitemb. Ordo M. Jun. 1661. respondit. *Vid. Resp. Theol. Vitemb. P. 2. T. I. pag. 58.*

## §. XXXVII.

Ob vinculum illud, quod investitura contrahit, pastor intra parochiae solum limites actus parochiales expedire debet. Nec parochiani alibi vacare facerunt.

Cum tam arctum Parochum inter & Parochianos vinculum investituram contrahatur, atque introductus pastor Ecclesiae veluti alligetur, ideo intra ejus etiam se continere terminos tenetur, nec parochiales alibi actus expedire debet. Pariter ad praefectum ipsis pastorem parochiani adstricti sunt, nec alio sacris vacare loco possunt. CARPZOV. *i. 54. n. 3.* Quod primis civitatis Christianae temporibus non observabatur, quibus Ecclesiae Doctores, certo cuiusdam coetui, ut ipsis administrare alibi sacra, aut auditoribus vacare alio loco sacris interdictum fuisset, adeo affixos & quasi alligatos non fuisse, §. VII. demonstravi. At cum oria Ecclesiae dedisset DEVS, & permultum ad stabiliendam hierarchiam terminorum constitutionem facere, clerici intellexissent, proprii etiam cuilibet, intra quos se continere deberent, fines fuere constituti. Atque ideo in *Carthaginensi III. Concilio c. 20.* patres, inter quos Augustinus fuit, disposuere: *ut a nullo Episcopo usurpentur plebes alienae, nec aliquis Episcopus supergrediatur in Dioecesi collegam suum.* Id quod in

in nostris aequè Ecclesiis observatur, & vocati ad certam Ecclesiam ministri introductique ejus transgredi fines nequeunt. *Vid. Ord. Eccl. Sax. El. a. gen. 8.* quod si aliter fecerint, in crimen turbationis sacrorum incidunt. Necessitatis tamen vulgo casum excipiunt. *Conf. Resp. Theol. Vitemb. P. 2. T. 1. pag. 59.* Habet ergo omnis hodie certae cujusdam Ecclesiae minister, & prohibendi, respectu aliorum parochorum, ne parochiales in ipsius parochia actus expediant, & cogendi, respectu parochianorum, ut in propria parochia sacris vacent, neque alii Ecclesiae se addicant, jus perinde ac facultatem. *Vid. D. BOEHMER. d. J. Paroch. Cap. 3. Sect. 3.*

## §. XXXIIX.

Varia denique ratione Ecclesiasticorum beneficiorum cum possessoria tum petitoria eorum possessoribus competere judicia, Canonistae contendunt. *Conf. DVAREN. d. S. E. M. C. XI.* Similes & apud nos parochis, certa quaedam parochia solenniter quasi investitis, actiones dantur, non minus ratione ipsius parochialis juris, quam bonorum parochialium respectu, quae in investiturae Ecclesiasticae actu vel statim simul traduntur, vel ob realem, quam illa parit, conjunctionem tradita praesumuntur, *D. BOEHMER. d. J. Paroch. 3. 1. §. 41.* Neque vero interest, actum parochus in Ecclesiam introductus fuerit, an a Principe aut Consistorio muneris sacri, annexorumque ei emolumentorum possessionem apprehendere jussus sit; utroque enim talia ipsi remedia casu competere dicendum. Aequè ac Longobardico non minus *2. F. 32.* quam Alem: *C. 75.* Feudal-jure illis etiam possessionis jura vindicantur, qui vadere solum in alicujus fundi possessionem, cumque feudi loco tenere solemni-

Parochis investitis competunt ratione juris parochialis & bonorum parochialium actiones.

Quae ipsis etiam non investitis competunt, modo confirmati atque ire in parochiam jussi sint.

solemniter jessi sunt. SCHILT. *ad J. Feud. Alem. d. C.*  
 Quamvis autem omnes alioquin, ratione parochialis juris  
 movendae, actiones ad Ecclesiasticum judicem referantur;  
 illa tamen, quibus de retinenda vel recuperanda tantum  
 possessione agitur, judicia ad secularem magistratum perti-  
 nere, communis, BARBOSA *d. Offic. & pot. Episc. P. 3. all. 34.*  
*num. 34.* teste, Juris Can. interpretum sententia est. At im-  
 pugnat eam Illustr. BERGER. *El. Proc. Matrim. §. 6. &*  
*adjecto illis program.* atque in causis Ecclesiasticis non  
 minus possessorium quam petitorium ad solius Consistorii  
 cognitionem spectare docet. Qua de re prolixius in-  
 praesens non disseram, sed, satis jam & pro virili Mini-  
 strorum Ecclesiae investitura exposita, huic quali-  
 cunque labori B. C. D. finem  
 impono.

F I N I S.



NOBILISSIMO CLARISSIMOQVE  
DN. CHRIST. FRIDERICO  
KOEHLERO

ADVOCATO IMMÄTRIC.

AVDITORI HACTENVS SVO VALDE INDVSTRIO  
S. P. D.

*PRAESES.*

**T**rimestre spatium est, cum Tuam, pu-  
blicum me Praeside edendi in hac  
Academia specimen, uoluntatem  
mihi significasti. Honestissimis his petitis  
Tuis eo lubentius promptiusque annuebam,  
quo maioribus uirtutum perinde ac eruditio-  
nis ornamentis iam tum instructus incedebas.  
Neque uero anxius de deligendo, in quo uires  
ingenii exerceres, argumento deliberandum  
mihi statuendumque erat. Ipse perelegans  
Eccles. Iuris, de Ministrorum Ecclesiae inaugu-  
ratione, argumentum suppeditabas, quod, hor-  
tatore atque impulsore Maxime Reuerendo  
Dn. Parente Tuo, elaborandum Tibi esse affir-  
mabas.

mabas. Quod sane institutum gratum ualde acceptumque mihi erat, praesertim cum a nemine haectenus pertractatum satis id thema esse intelligerem. Neque etiam elaborare Dissertationem statutum Tibi saltem cum animo deliberatumque erat, sed intra perbreue temporis spatium me duce elaboratam exhibebas, ut haud uulgares uel eo nomine laudes promerearis. Cum primis autem perplacuit mihi insignis illa in pertractando argumento adhibita industria, qua, posthabitis erroneis sententiis, accuratiori rationis scrutinio omnia examinasti, longissimeque abfuisi ab illis, qui numerare, non ponderare Doctorum sententias, et receptarum opinionum cumulos magis quam genuina cuiusque thesios principia aestimare consueuerunt. Quod praeclarum eruditionis Specimen cum omnes Tibi gratulentur, ego profecto, quem Disputationi Praesidem deligere dignatus es, ut gratulabunda Te acclamatione excipiam, exigit amor in Te meus plane singularis, et quotidiana, quae inter nos intercedit, consuetudo iure quodammodo postulat. Praedicarem inpraesens laudes Tuas, uirtu.



uirtutis ac sapientiae studio partas, nisi easdem  
conticeri modestia Tua, et consuetus Tibi a  
propria laude horror quasi iuberent. Neque  
meo etiam indiges encomio, cum publico Te  
comparatae in Iuris arte scientiae testimonio  
ipse Illustris Ictorum in hac Academia Ordo  
exornauit, Teque dignum iudicauit, qui prodi-  
res in publicum, causasque in foro perorares.  
Id itaque tantum agendum mihi esse uideo,  
ut Tibi de egregiis uirtutibus Tuis, Optimo  
Parenti Tuo, Theologo et Sacrorum apud Lei-  
pnicensis Antistiti, sanctitate muneris, excel-  
lencia doctrinae et meritorum amplitudine  
summpere reuerendo, de Filio, felicissimo pa-  
ternarum uirtutum aemulo, Patriae denique  
de consequendis Tua impostero industria  
commodis, ex animo gratuler, et DEVM  
immortalem pro uita felicitateque Tua religio-  
sissime deprecet. His uale, mi KOEHLERE,  
et constantem mei memoriam conserua.

Vitembergae Kalend. Iun.

Anni clō 15CC XIII.

**H**actenus incelebri satis est latuisse sub umbra  
Et secum tacitas consuluisse Deas.  
Hactenus obscuris satis est didicisse tenebris,  
Et Themidem studiis demeruisse suis.  
Ergo perpetuo laudis decorisque tenore  
Ingenii prodis tot documenta Tui.  
Examen magna pridem cum laude peractum est,  
Nunc publicam Cathedram mens generosa petit.  
Hoc age! Pierios consummature triumphos!  
Applaudit studiis concio tota tuis.

Hicce suum uotum addere uoluit

**M. FRID. AVG. FERBER,**  
Pastor Pratensis.







ULB Halle

3

005 361 737







12.  
1713, 14a  
17

2. D. B. V.  
ORE MAGNIFICENTISSIMO  
DERICO AVGVSTO,  
REGIO ET SAXONIAE HEREDE,  
EX  
ECCLESIASTICO  
DE  
ESTITVRA  
ISTRORVM  
CCLESIAE,

Von  
ng der Kirchen-Diener/  
PRAESIDE  
RIST. SCHROETERO,  
ONSIST. ECCLES. ADVOC. ORDIN.  
PVBLICE DISSERT  
AVCTOR  
FRIDER. KOEHLERVS,  
HERZBERGA-SAXO.

VDITORIO FCTORVM 9.  
D. MAJ. M DCC XIII.  
VITEMBERGAE,  
CHRISTIANI GERDESII. 131.